

7

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS  
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ALEXANDER CORTESIUS  
DE LAUDIBUS BELLICIS  
MATTHIAE CORVINI  
HUNGARIAE REGIS

EDIDIT

IOSEPHUS FÓGEL

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

BIBLIOTHECA  
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

I. FÓGEL ET B. IVÁNYI MODERANTIBUS  
REDIGIT L. JUHÁSZ, SZEGED (HUNGARIA)

SAECULUM XV.

ALEXANDER CORTESIUS

DE LAUDIBUS BELLICIS  
MATTHIAE CORVINI  
HUNGARIAE REGIS

EDIDIT

IOSEPHUS FÓGEL

MCMXXXIV. — LIPSIAE — B. G. TEUBNER

Iq. kot.

114 951



## INTRODUCTIO.

### *De Alexandro Cortesio.*<sup>1</sup>

Alexander Cortesius a. 1464. vel ante Romae natus est, fratris enim eius minoris natu Pauli, qui melius de litteris meritus est, annum natalem 1465. certum habemus. Pater eorum Antonius et ipse litteratus Sancto Geminiano ortus in secretariatu apostolicae sedis occupabatur. Uterque filius exemplum patris secuti in aula Sixti IV. scriptores apostolici fuerunt. Alexander cum Medicibus et societate Florentina necessitudine coniungebatur. Intra annos 1485—90. scripsit librum de laudibus bellicis Matthiae regis, nam de Vienna capta (1485.) mentio fit et Matthias rex iam a. 1490. de vita excessit. Poeta in Dedicacione alium quoque librum de artibus pacis Matthiae regis scribere pollicetur, promissum autem nobis scientibus non fecit.

Alexander Cortesius a. 1491., Paulus a. 1510. mortui sunt.

*Opera Alexandri Cortesii*: Carmina. — De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis. — Epistolae. — Orationes sacrae.

### *De codice et incunabulo et aliis editionibus.*

G — Guelferbytum. (Wolfenbüttel.) Herzog August-Bibliothek. Cod. 85. 1. 1 Aug. 4-o. Saec. XV. Memb. — Qui codex splendissime ornatus quondam in Bibliotheca Corviniana Budensi Matthiae regis inscriptus erat.<sup>2</sup> Codicem poeta intra annos 1485—90. Matthiae regi dedicavit. In textu condendo nobis codex positus est fundamentum. — Codex 33 folia continet, at solum 32 sunt numerata, quia folio 24. insequens folium numerari neglectum est. Titulus dedicationis: fol. 1r; dedicatio: fol. 1v—2r; Ad Librum: fol. 2v; Laudes Bellicae: 3r—32r.

<sup>1</sup> Nomen eius totum nonnunquam usitatum: Thomas Alexander Cortesius. — Cf. *Tiraboschi*, Girolamo, Storia della letteratura italiana. Milano, 1—XXXII. 1933—36. T. XVII. 205. sqq. — *Sabbadini*, Remigio, Storia del ciceronianismo. Torino, 1886., 33—42. — *Pintor*, F., Da lettere inedite di duo fratelli umanisti. (Alessandro e Paolo Cortese.) Perugia, 1907.

<sup>2</sup> Bibliotheca Corvina. Mátyás király budai könyvtára. Írták † *Fraknói* Vilmos, *Fögel* József, *Gulyás* Pál és *Hoffmann* Edith. Szerkesztették *Berzeviczy* Albert, *Kollányi* Ferenc, *Gerevich* Tibor. Budapest, 1927., pag. 76., cod. 149. Hungarice. — Idem Italice: † *Guglielmo Fraknói*, *Giuseppe Fögel*, *Paolo Gulyás*, *Edit Hoffmann*, Bibliotheca Corvina. La Biblioteca di Mattia Corvino re d'Ungheria. Per cura di Alberto *Berzeviczy*, *Francesco Kollányi*, *Tiberio Gerevich*. Traduzione dall'ungherese di Luigi Zambra. Budapest. 1927., pag. 83., cod. 150.

e — Incunabulum sine loco et anno. 4-o. Hain, Repert. Bibl. 5774. Incunabulum 25 folia continet. — Editionem ipse poeta post 1485. fortasse Romae prelo mandavisse videtur, cum versus codicis partim correxit, partim reliquit, partim interpolavit et partim transposuit. Incunabulo deest carmen, quod Ad Librum inscribitur (pag. 2.); versus 1183. continet (codex 1198). Dedicatio: 1r—v; Laudes Bellicae: 2r—25v. Incunabulum rarum est.

*Ceterae editiones.*<sup>3</sup> 1531. Hagenoa. Ed. Vincentius Opsopoeus. — 1543. Basilea. Ed. Martinus Brenner. Appendix operis Antonii Bonfinii. — 1568. Basilea. Ed. Iohannes Sambucus. Appendix operis Antonii Bonfinii. — 1581. Francofurtum. Idem. — 1606. Hanovia. Idem. — 1608. s. l. Ranutius Gherus, Delitiae CC Itatorum poetarum huius superiorisque aevi illustrium, I<sup>4</sup> — 1690. Colonia Agrippina. Idem, ut 1606. — 1719. Florentia. Carmina illustrium poetarum Latinorum. III. — 1890. Budapest. Jenő (Eugenius) Ábel, Olaszországi XV. századbeli írónak Mátyás királyt dicsőítő művei. (Irodalomtörténeti Emlékek, II.)<sup>5</sup>

Editio a. 1531. post codicem G edebatur; omnes aliae editiones post editionem a. 1531. prelo mandatae sunt.

<sup>3</sup> Nos exemplari Bibliothecae Alexandri Apponyi utebatur (in Museo Nationali Hungarico, Budapest) no. 1570.

<sup>4</sup> Exstant duae aliae editiones (in Catalogo Musei British, ad verbum Gherus).

<sup>5</sup> Joseph Wetzer et Benedikt Welte (Kirchen-Lexikon oder Encyclopädie der katholischen Theologie, t. II., Freiburg in Breisgau, 1848., pag. 897—98.) hoc carmen a doctore Romy a. 1804. editum esse memorant, quae editio a nobis inveniri non potuit.

ALEXANDER CORTESIUS

DE LAUDIBUS BELLICIS  
MATTHIAE CORVINI HUNGARIAE REGIS:

DEDICATIO.

*Regi Matthiae Corvino, Ioannis Corvini filio, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croaciae, Ramiae, Servianiae, Gallitiae, Lodomerae, Romaniae, Bulgariae, duci Austriae, Slesiae, Lucemburgensiae, marchioni Moraviae, Lusatiae, optimo fortissimoque principi ob rempublicam Christianam conservatam et imperium regni Hungariae propagatum insignibus virtutibus eius domi forisque T. Alexander Cortesius.*

Etsi nihil difficilius videtur, optime rex, quam de te scribere, in quo omnis est laus imperatoria et digna principe virtus, tamen, cum existimarem si non facultatem, at certe voluntatem hanc optimum quemque probaturum movererque admiratione rerum a te gestarum, scripsi de tuis laudibus libros duos. Et, cum bello et pace aequae clarus sis, uno res bellicas, altero pacis artes sum persecutus. Mitto priorem hunc, secundum, qui adhuc est in manibus, paulo post missurus. Nam ne hunc ipsum quidem nunc mitterem, nisi indignum putarem, quae ab aliis legerentur, ea tibi, cui dicata sunt, esse ignota. Leguntur autem non, quia sint scripta eleganter (parum enim aut ingenio aut doctrina valeo), sed quia tuas et veras continent laudes, quae ita passim amantur celebranturque, ut et quoquo modo scriptae delectent et, qui eas scripserit, carum omnibus reddant. Nam, cum omni es laude cumulatus, tum maius quiddam atque praestantius in te est, quam quod aetas nostra pati videatur, et plane cum antiquitate conferendum. Quare urbs nostra, dea, ut ita dicam, terrarum ac gentium, Roma, unde tu originem ducis, tuis gestis virtutibus, tibi gratias agit ipsaque, cui natus es, respublica Christiana, quo frequentius gloriatur in quove magis conquiescat, habet neminem. In tanto itaque totius orbis terrae consensu ego quoque absens atque ignotus feci hoc, quaecunque est, poema, ut simul immortalem tuam gloriam meis versibus venererem, simul egregiam in te ostenderem voluntatem. Tu vero, si nunquam ab his studiis te avertit cura regnorum, lege, oro, atque cognosce et, si merui, in tuorum numerum adscribe. Vale,

*Ad Librum.*

Care liber, magnum qui iam volitare per orbem  
 Notus et argutis auribus esse cupis,  
 Qui cupis Arctoi tectis succedere regis,  
 Numinis et propius ora videre mei,  
 5 Qualiscunque mihi multo vigilate labore,  
 I, felix genio candidiore liber,  
 Neu blatta informi laedat rubigine, neve  
 Tempus edax noceat, neu mala lingua tibi.  
 Sic faveant Musæ et studiis servata nepotum,  
 10 Quae canis, haec olim saecula futura legant.  
 Quantus et Alcides et quantus nomine Achilles,  
 Matthias hominum pervolet ora meus,  
 Matthias, Romanus honos, cui vertice sacro  
 Pierias laurus bellica fert hederas.

*Laudes Bellicae.*

Iliacas alii flammæ Thebanaque fratrum  
 Arma et Iasoniis insignem heroibus Argo,  
 Astrorum cursus et Ditis inania regna  
 Fictaque Pierio referant miracula cantu,  
 5 Nos propriis spectanda oculis, nos inclyta dextrae  
 Facta tuae canimus, quibus aurea sidera vivus  
 Tangis et aetherias fama petis arduus arces.  
 Sed sine te nunquam tenues ad carmina tanto  
 Subsistant vires oneri. Tu numine toto  
 10 Dexter ades, da Maeoniam tua facta canenti,  
 Matthia Corvine, chelyn. Si Delphica parent  
 Templâ tibi sentitque frequens tua nomina Cirrha,  
 Si Musæ, si Phoebus amant, hoc tempore solus  
 Carminibus si digna facis, quae nulla vetustas  
 15 Deleat annorumque gravi situs obruat aevo,  
 Quamquam absens tanto rerum splendore tuarum  
 Excitor, assensu laudum procul omnia plaudunt  
 Fortunae momenta tuae, neque clarius axe  
 Lumen ab Arctoo micuit, sonat omnis ubique  
 20 Nomine terra tuo et famam vaga gloria caelo  
 Terminat immensumque ingens accedit Olympum.  
 Non haec ingenio complecti aut versibus optem  
 Posse meis, cupido non si torrentia vati  
 Pieridum sint ora novem, sit aenea lingua.  
 25 Litoreas aliquis citius numerabit harenas  
 Parvaque per densum volitantia corpora mundum  
 Et tenues per inane globos, quam singula versu  
 Expediam. Potui satius tacuisse, furentem

- Ni dulcis raptaret amor, qui frena pudoris  
 30 Rumpit et immenso cogit decurrere campo,  
 Conveniunt omnes quando, tua cura, poetae  
 Certatimque novas contendunt scribere laudes.  
 Nec bene Romano de nomine Musa meretur,  
 Quae tua facta silet. Regum tu maximus ille es  
 35 Et maris et terrae domitor, tua fulmina passim  
 Horret Hyperboreae regio Maeotica brumae.  
 Te duce tuta fides, tibi relligiosa parentum  
 Debetur pietas, in te fiducia duris  
 Militibus sita, Threicii fera munera Martis  
 40 Te penes, in te anceps belli fortuna recumbit.  
 Tu vallum Italiae, Romana palatia, servas,  
 Impia tu gentis contundis monstra profanae  
 Bisaltamque Scythamque ferum, tu Norica vincis  
 Arma et bellacem non uno Marte Bohemum.  
 45 Tu mores hominum domitas et iura per urbes  
 Restituis lapsisque potens succurrere rebus  
 In faciem antiqui mutas mala tempora cultus.  
 Verum ego non hydrae magis indelebile collum  
 Fecundumque iecur Tityi consumere posse  
 50 Desperem aut Ixionios firmare rotatus,  
 Quandoquidem primo tantarum in limine laudum  
 Hinc decus, hinc rerum incertam fert copia mentem.  
 Ac veluti rubrae dubitat rimator harenae,  
 Quam prius e variis gemmam legat (ardet iaspis,  
 55 Lucet onyx, viridi radiat fulgore smaragdus),  
 In partes dubium varias et singula circum  
 Illum agit haerentem spectandi immensa voluptas.  
 Nam quid principio referam, unde exordia sumam?  
 Maiorumne prius repetens exempla tuorum  
 60 Messalas atavos memorem stirpemque togatam,  
 Unde tuum magnis genus est auctoribus ortum?  
 An patris Hunniadae tot bella exhausta tot annos  
 Persequar, ut saevos totiens disiecerit hostes,  
 Fuderit ut dirum Taurini ad moenia Turcam?  
 65 (Nunc Albam appellant, albent quando ossibus arva  
 Bistoniis galeaeque micant effossaque pila  
 Et madidae humano pinguescunt sanguine glebae.)  
 Sed genuisse tamen Matthiam gloria maior,  
 Quam variis septem bellis domuisse trionem  
 70 Et tetigisse altum vicina fronte Bootem.  
 Romuleae decus, Hunniade, memorabile gentis,  
 Quo duce Pannonium pulsavit sidera nomen,  
 Non ulla pro laude, pater, nullisque triumphis  
 Plus tibi res Italiae debent, quam pignore tanto,  
 75 Fulmina quod belli populo rediviva Latino  
 Et tanta eversis peperisti commoda rebus.



- Tu nato concede tuo, quantumque priores  
 Vicisti, tantum vinci patiaris ab illo.  
 Non secus Aeacidem proles Pellaea Philippum  
 80 Fortior et bello Peleum superavit Achilles;  
 Sic vinci Anchises nato gavisus et Aegeus  
 Magnanimum laeto miratus Thesea vultu.  
 Atque equidem nasci Romano semine multum est,  
 Matthia armipotens, auctorum fortibus actis  
 85 Et genus et famam renovare et fata suorum;  
 Scilicet ante alios cursu Neptunius auras  
 Altius efflat equus virtusque immissa propagat  
 Indole diffusas cognata in pectora vires.  
 In te crevit honos rerum successibus auctus  
 90 Et nova maiorum virtus tua nomen obumbrat  
 Sola bonis contenta suis nihil indiga patrum.  
 Te vario casti venturum carmine vates,  
 Te cecinit multo quondam pius ore sacerdos  
 Quique avium cantus quique ardua sidera norunt  
 95 Aut qui divinum spirant sub pectore numen,  
 Tum caelum sua signa dedit Phoebeaque lucem  
 Natalem praedixit avis, cum decidit aethra  
 Annulus in gremium matris delapsus Elisae.  
 Ipsa sub umbrosa fatorum nescia quercu  
 100 Carpebat placidam seclusa in valle quietem.  
 Huic puer in somnis, utero quem languida p'eno  
 Gestabat, subito fetae circum ubera visus  
 Ludere et infantis facto velut agmine in ora  
 Plurima praecipiti labentia flumina cursu  
 105 Pectore sub magno — dictu mirabile — condi,  
 Cum subito gemmam, digitis quae lapsa iacenti  
 Errabat, rostro praepes libravit acuto  
 Inque sinum celsa demisit ab arbore corvus  
 Et leviter molli distinxit lumina penna.  
 110 Excidit extemplo somnus, tum laeta salutans  
 Augurium verbis supplex his diva precatur:  
 „Corve sacer, longa superis gratissime vita,  
 Seu tu sponte venis nostri praesagus honoris,  
 Seu pater altitonans caelo te misit ab alto,  
 115 Adsis et tanto fortunes omine natum.  
 Tu gentilis honor, cognomen nobile nostri  
 Tu generis, te nostra ferent insignia semper  
 Parque aquilis toto venies victricibus orbe.  
 At tu, rex superum, primis cui pugnat ab annis  
 120 Hunniades, cui sese ultro devovit et omnem  
 Progeniem, quando eveniunt sine numine nunquam  
 Ista, tuo carum felici lumine fetum  
 Aspice et auspiciis insomnia laeta secundis,  
 Ut, quot ab innumeris manabant fontibus amnes,

- 125 Tot sint regna meo late parentia nato,  
Undique caeruleis circumdata regna fluentis.“  
Haec ait et tacitis veneratur numina votis,  
Pannonius quo more senex aut Dalmata suevit,  
Qui desiderio caeli terraque marique
- 130 Longum iter emensus tandem pervenit ad arces,  
Maxima Roma, tuas et flexo poplite supplex  
Ardua clavigeri succedit limina Petri ;  
Ipse pius tremulis titubantia murmura labris  
Integrat, ipse preces et cana fronte peractis
- 135 Concretam votis exemit pectore labem.  
Non aliter caelum divosque precatur Elisa.  
At pater omnipotens melioris conditor aevi  
Proxima maturi repetens iam tempora partus  
Atque animum castae precibus commotus Elissae
- 140 His incorruptam compellans vocibus ultro  
Affatur Mariam, quanquam facta impia cogunt :  
„O mater, diro poenas de sanguine sumam  
Immittamque globos flammaram in viscera terrae  
Et genus humanum deleto semine perdam.
- 145 Iam pudet in nostras armari numina vires,  
Quae superis depulsa polis damnavimus Orco.  
En rursus fera bella cient rursusque gigantes  
Monstraque de superis audent decernere regnis.  
Pars quota terrarum restat mihi? Possidet orbem
- 150 Turca ferrox Eurumque premit Magmedus et Austrum,  
Nec patriam tantum Solymam nec Achaica tantum  
Regna, sed Illyricum tenet Epirumque superbus.  
Angusto vix tuta freto Roma incluta, divum,  
Roma, locus, Roma, imperii pulcherrima sedes.
- 155 Quid memorem infandis tot diruta templa ruinis,  
Dedecus in nostrum versum fasque omne nefasque  
Pollutamque fidem et temeratas caedibus aras?  
An frustra ignifera torquemus fulmina dextra  
Miscemusque cavis horrenda tonitrua nimbis?
- 160 Me tamen Hunniadae pietas movet actaque bello  
Fortia et effusus nostro pro nomine sanguis.  
Sed, quoniam emeritum iam pridem sede locare  
Siderea certum est et iam nunc filius illi  
Nascitur, hunc rebus bellantem imponere fessis,
- 165 Hoc saevos ductore paro compescere Turcas.  
Ergo age tu, Lucina parens, tu, maxima Iuno,  
Da faciles matri partus natumque rubentem  
Excipe, cumque suo vocem formaverit ore,  
Fac, Turcas puer ille meas se iuret ad aras
- 170 Igne secutorum et ferro terraque marique.  
Postquam alacres magnis vires firmaverit ausis,  
Is premat immanes invicto milite gentes

Aureaque Arctois componat saecula terris."

- Haec ubi dicta, polus tremuit, tremuere cavernae  
 475 Tellurisque cavae et sonitum maria alta dedere.  
 Palluit anguiferis impexus crinibus ora  
 Territus atque imo latuit Magmedus Averno,  
 Ceu latet intonso pavidus sub gramine serpens,  
 Vicina apparet quotiens Iovis armiger aethra ;  
 500 Dulcibus is praedam natis rimatur et acres  
 Dat penna stridente sonos super aera raptus,  
 Ille anceps glacie torpet latebrasque propinquas  
 Intrat et optatae tumulo sese abdit harenae.  
 Interea carae nullo languore parentis  
 185 Continuo in dias ope numinis editus auras  
 Ipse puer strictos primis vagitibus enses  
 Complesti, in patriis repsisti parvulus armis,  
 Militis exceptus manibus plausuque faventum  
 Othrysium tenero spirabas pectore Martem,  
 100 Qualis ubi in cunis genitus Iove mollibus infans  
 Elisit geminos manibus Tiryntius angues :  
 At tibi nascenti fortuna innoxia plausit  
 Permulsitque manu blandum Rhamnusia pectus.  
 Affuit Aeneadum genitrix, formosa Dione,  
 190 Gradivusque parens atque urbis Romulus auctor  
 „Exoriare," — inquit, — „nostro de sanguine tandem,  
 Magne nepos, patriae decus et tutela ruentis !  
 Quanta tibi placidi favet indulgentia caeli,  
 Qualibus aegoceros radiis, quo lumine Mavors  
 200 Prospicit et quanto rutilus Iove fulgurat aether !  
 Ingens Aetnaeis stridet fornacibus ensis,  
 Ingentem Siculi formant thoraca Cyclopes ;  
 En tibi iam rupes Vulcania tota remugit.  
 Incipe, dive puer, tenero vibrare lacerto  
 205 Tela virum. Iam nunc animos ostendis avitos,  
 Quippe his Scipiades oculis, hoc parvulus ore  
 Caesar erat, sic Corvinus mihi riserat olim.  
 Aspice iam, nostri quantum stat roboris instar  
 Fronte tibi et patrios effingis imagine vultus,  
 210 Qualis eris, cum maestus Arabs, cum territus Indus  
 Cernet adhuc superesse mea de gente nepotem,  
 Ausit qui domitis totiens iuga ponere Dacis !  
 Perge modo, non haec equidem te oracula fallent,  
 O spes Ausonidum et Romani nominis heres !"  
 215 Dixerat. Ipsa fovens gremio Tritonia Pallas  
 Hastam insertabat dextrae et Phorcynida laevae  
 Et parvo auratum capiti diadema locabat.  
 Ter lauro cinxere comam, ter blanda dedere  
 Oscula, ter laetae cecinerunt omina Parcae.  
 220 Vix fari poterat, brevibus cum longa lacertis,

Tela dari torvus patre exultante petebas  
 Assuetus clangore tubae atque hinnitibus ipsis  
 Lactari et flammis galeae arridere coruscae.  
 At non armorum sonitum pugnaeve fragorem  
 235 Consertae horrebas, gemitus vocesque cadentura  
 Auribus intrepididis tormentaue pectore suetus  
 Audire imoavido, cum saxea fulminis instar  
 It pila fiamm ferri sonitusque imitatur Olympi.  
 Non annis tumidi murmur spumantiaue undis  
 240 Aequora, non rapidis terrebant flamina ventis.  
 Sic in Chaoniis generosae vividus arvis  
 Pullus equae visoque truci venaticus apro  
 Indolis ante annos catulus dat signa Molossae.  
 Post, ubi paulatim crevit robustior aetas  
 245 Atque metus expers adolevit corpore virtus,  
 Non tergo, sed fronte vago notissimus hosti  
 Iam volucres solitus cursu praevertere cervos,  
 Flammea vel celeris saltu vestigia damnae  
 Telaque nunc arcu, nunc saxa emittere funda,  
 240 Aerea sulphureis tormenta incendere taedis  
 Murorumque frequens lapsam ingeminaré ruinam.  
 Ac velut Hesperium Poenus cum presserat orbem  
 Hannibal aeriasque furens animosa per Alpes  
 Et Pyrenaeos raptaverat agmina saltus,  
 245 O, quotiens ausus vastos umbone molares  
 Pellere, centenis quotiens occurrere telis,  
 Intactas super ire nives fluviosque minaces  
 Et tumidum audaci pelagus tranare natatu!  
 Cum trepidum genitor castris educeret agmen,  
 250 Ipse auctor pugnae stabas et terga daturis  
 Firmabas dubium rerum discrimine pectus,  
 Cumque per insidias a tergo invaderet hostis  
 Et furtim missas tremeret procul Alba phalanges,  
 Vertebas strictis pavidas mucronibus alas.  
 255 Ceu, ferus Aeneadas premeret dum Nervius acres,  
 Iulius emicuit raptaque a milite parma  
 Restituit fusos media inter signa maniplos.  
 Et, quod defixum est Othomanni regis in ore,  
 Vulnere quo turbatae acies, tua dextera telum  
 260 Torserat; auspicio parta est victoria tanto.  
 Inde chorus divum caelique exercitus omnis  
 Pro te bella manu telis infesta ciebant;  
 Ipse pater superum, summo tibi Christus Olympo  
 Propugnator erat. Iam tum pia numina voces  
 265 Audivere tuas et votis annuit aether.  
 Ille Pharaonias summersit fluctibus alas,  
 Ille et legifero Mosae deus affuit undas  
 Disiiciens mediumque viam patefecit in aequor.

- Nimirum Macedum populi atque Alemannia pugnax  
 270 Adventu tremuere tuo responsaque divum  
 Bosphorus et Scythicis Hypanis procul horruit undis.  
 Interea Hunniaden referentem signa cruentis  
 Turcarum spoliis, ne quid mortalibus ultra  
 Viribus auderet maius, revocare parabat  
 275 Iuppiter et vacuo terrae decus addere caelo.  
 Isque, ubi labentes artus et frigida membra  
 Sensit anhelantemque anima fugiente iuventam,  
 Sic fatur moriens dictisque ita pectora firmat :  
 „Nate mihi vita semper iucundior ipsa,  
 280 Flos regum, nate, Ausonidum lumenque future,  
 Accipe et haec memori praecepta in pectore fige.  
 Nam, te qui supra est annis et vertice toto,  
 Fratrem fata mihi comitem dant mortis acerbae.  
 Iam propior mors atra ruit. Quid lactea colla,  
 285 Quid flavos calido conspersos sanguine crines  
 Commemorem ? Heu, tenero, sanguis meus, occidis aevo,  
 Proiicis et truncum ferro ceu victima corpus !  
 O dolor, o lachrymae, dulcis Ladelae, tuorum !  
 Tu, cui felices ostendunt numina cursus,  
 290 Qui patriam nomenque feres ad sidera nostrum,  
 Utere sorte tua, nec foedi carceris horror  
 Terreat aut duri imperium crudele tyranni.  
 Inveniet fortuna viam victorique redibus  
 Quadriugo insignis subiecta per oppida curru,  
 295 Cum te Pannoniae regem, te Moesia et alte  
 Noricus Illyricis mundus venerabitur oris  
 Successuque ferens sese laetabitur omnis  
 Armipotens Europa tuo et caput efferet astris.  
 Amplum, nate, tibi regnum famamque relinquo,  
 300 Duratum castris Hunnum assuetumque periculis,  
 Qui nulli inferior genti pietate vel armis  
 Quique tuis nunquam desit conatibus audax.  
 Aude omnes tentare vias hoc milite et omnes  
 His belli contemne minas, puer inclyte, dextris.  
 305 Debellanda manu variarum horrenda ferarum  
 Monstra tibi et multae diversis finibus urbes ;  
 Augendum bello decus et sudore paranda  
 Gloria, nam magnos fortunant fata labores.  
 Ergo nec somno indecori, nec tempora segni  
 310 Perde situ et patrem duris imitare sub armis.  
 Incumbent alii Sarrano mollius ostro,  
 Argutas tenui ducent de gutture voces,  
 Pulsabunt citharam melius saltuque choreas  
 Intextent agili et convivia lauta parabunt,  
 315 Tu bellare frequens et vincere, nate, memento ;  
 Hoc tibi erit studium regnique extendere fines,

- Exercere fidem et contingere sidera factis.  
 Ingredere et tantos iam nunc ordire labores!"  
 Iam nova pertentant moribundum gaudia pectus.
- 320 Haec memorans dulci genitor dedit oscula nato  
 Et simul astrigeris conscendit in aethera bigis,  
 Aelius ut Solyma vates levis excitus aura  
 Egit sidereo candentes igne quadrigas,  
 Obstupuit mediis agitantem in nubibus axem
- 325 Sublatumque polo nequiquam exclamat Elyses:  
 'Quo ruis et dulcem linquis crudelis amicum?'  
 Sic pater Hunniades caelo sese intulit alto.  
 Tum diva immenso regnum paritura labore  
 Matthiae Fortuna suo fratrem impulit acrem
- 330 Ulcisci patrium ferro decus hoste perempto.  
 Ipsius ante oculos Agelai regis et ora  
 Ense virum necat indomitum patrique parentat  
 Audax Hunniadae natus nec iura nec arma  
 Regalemve manum veritus fascisque tremendos,
- 335 Sumeret ut meritas hostili a sanguine poenas.  
 At rex Pannonia tremuit Germanus in aula  
 Insonemque dolis iuvenem et nil tale verentem  
 Occupat ac multo foedatum vulnere saevus  
 Imperat intonsa caput a cervice revelli.
- 340 Heu pietas! Haeret vinctis post terga lacertis  
 Infelix puer et crudelia fata moratur.  
 Terque quaterque ferus nequiquam fortia lictor  
 Colla ferit crebrisque addit super ictibus ictus,  
 Purpureo niveos humeros dum caesa cruore
- 345 Infecit cervix et pulchros abluit artus.  
 Non lachrymas pueri, non plebs patriusve senatus  
 Continuit tristesque necem flevere catervae.  
 Turpavit senior squalentes pulvere canos  
 Danubius, gemuere alto sub gurgite nymphae
- 350 Et Riphaea iuga et Boreae glacie obsita tellus.  
 Sed non ille diu casu laetatus acerbo est.  
 Dum nova regifico celebrat connubia luxu,  
 Interit inter vina miser libata dapesque  
 Laetaque lugubri turbat convivia planctu.
- 355 Nil adeo certi miseris mortalibus usquam est.  
 Tu, velut alterna Pollucis morte redemptus  
 Castor Amyclaeum stellis ostendit honorem  
 Et certam nautis tranquilla luce salutem,  
 Talis ades regno everso patriaeque ruenti,
- 360 Cum primum lapsas miles tibi victor habenas  
 Et regni vaga frena dedit cervicibus ipsis  
 In solium regale ferens fractisque catenis  
 Tradidit Arctoe late moderamina gentis.  
 Principio infensas acies populosque rebelles

- 365 Impia non grati periuri militis ultus  
 Sub iuga depresso misisti regia collo.  
 Necdum etiam primo vestibat flore nitentes  
 Barba genas, cum laeta tuos victoria currus  
 Circumit et virides substravit gloria lauros.
- 370 Prima triumphales fronti concessit honores  
 Seditio pacata tuae, prima impulit armis  
 Discordes late gentes frenare severis.  
 Nec mora. Sidonio longe spectabilis ostro  
 Sacra facis sacrasque deum veneraris ad aras,
- 375 Vocalem veluti fama est Davida tonantem  
 Placavisse deum, teneri fundamina regni  
 Dum iacit et puram sacris fert curribus arcam.  
 Macte animis et care tuis caelestibus heres,  
 Qui sancta imperii pietate exordia firmas !
- 380 Non vires, non arma magis legumve potestas  
 Relligione valent ; mundum terrore subactum  
 Haec regit, haec saevas moderatur numine gentes.  
 Protinus hostilem ductor capis acer lazam  
 Invictumque doces vinci certamine Turcam
- 385 Ac prius indomitum fugientia vertere cogis  
 Terga ducem ; nec te belli vis ulla nec ullus  
 Impetus avertit dura obsidione prementem  
 Moenia, disiectis donec patefacta ruinis  
 Intrasti curru victor sublimis ovanti
- 390 Et magnam infandis rapuisti ex hostibus urbem.  
 Sed, dum persequeris victricis praemia pugnae  
 Ultioresque trahis iurata ad proelia divos,  
 Dira superstitio patrias invaserat urbes.  
 Hussius huic auctor quondam ; nec templa nec aras
- 395 Erexit superis et, quae constructa manebant,  
 Diruit impius, infelix ac peste cruenta  
 Tristia periurae maculavit moenia Praegae  
 Multaque de superis demens infanda canebat.  
 Hinc ortae monstris facies bacchataque passim
- 400 Prodigia Herculeis non contemnenda lacertis  
 Tisiphones atrae stimulis accensa fremebant.  
 Nec contenta suis iam pridem finibus ingens  
 Belua Pannonias spiris involverat ambas ;  
 Mille manus illi fuerant et cornua mille
- 405 Et totidem intortis armabat colla colubris,  
 Cum procul obsessas regni circumspicis arces  
 Tartareae labis tabo sic protinus orsus :  
 „Quid Thracum sequar indomitas Arabumque phalanges,  
 Quos terra et vastis dirimit mare fluctibus altum ?
- 410 Monstra domi vincenda mihi maiora supersunt,  
 Intestina mei populatur viscera regni  
 Sacra lues propiusque nocens in limine labes.

- Indigetes divi, patriae tutamina nostrae,  
Et tu, sanctorum columen, Stephane inclyte, regum,  
415 Si me cana fides pietasque illaesa ciere  
Bella iubet mediisque artus opponere telis,  
Nunc precor, o superi, sinite hac me sternere dextra  
Prodigium diroque manus foedare cruore!  
Nunc sinite his terris sceleratam avertere pestem!“
- 420 His dictis monstrum patria vi perdere adorsus  
Non clava accinctus, non in certamina pelle  
Venisti; rigido pugnatum est undique ferro,  
Undique commissae cumulatōs stragis acervos  
Cernere erat. Tepidas Oderaē cruor inficit undas
- 425 Involvitque ruens labentia corpora vertex.  
Pars flammis ambusta sonant piceoque crematur  
Igne lues, nigris lucent incendia bustis  
Et sparsos rapiunt cineres in nubibus Euri.  
Ergo victa tuis portenta Bohemica telis
- 430 Tempora victrici flaventia fronde coronant  
Praeceduntque duces onerati colla catenis  
Atque sacerdotes coetu comitantur honoro  
Florentes visentem urbis et vota sacrantem.  
Aurea caesaries humeris volitabat eburnis
- 435 Laetaque purpurea flagrabant ora iuventa.  
Qualis ubi auricomos eduxit Lucifer ignes,  
Vere novo roseus rutilo sol enitet astro,  
Sic formae splendore nites clarisque vendae  
Virtutis bellique notis, o nobile Martis
- 440 Numen adoratum, o terris decus omnibus ingens.  
Iura manu pacemque geris viridesque triumphos  
Et scelerum ultores educis in agmina divos.  
Imperium tibi grande comes, tibi regna laborque  
Clarus et insignes generoso vulnere mortēs.
- 445 Bello iura Gethis, bello data iura Britannis,  
Parta quies populis et vita gloria maior.  
Adde tot erectas urbes positosque colonos,  
Tot pacata fero late loca vasta latrone  
Aequoraque invectas quondam per inhospita merces.
- 450 An memorem iunctas diverso a litore gentis,  
An notas rerum causas sedesque locorum  
Et mores hominum et variae commercia linguae?  
Hoc caelo Alciden victoque oriente Lyaeum  
Extulit, hoc Persas, Poenos Gallumque potentem
- 455 Romanosque tuos et te, fortissime princeps,  
Qui nunc extremis Europae victor in oris  
Immanem avertis Tyrrhenis urbibus hostem.  
Salve, certa salus rerum, pater inclyte Mavors,  
Certa virum! Tibi nunc aeternae laudis honorem
- 460 Invictumque cano Romano carmine regem.



Quod si nascentis vixdum Cortesia Musae  
 Orsa iuvent dicique meo dignabere versu,  
 Matthia, incipiam rursum et primordia laudum  
 Exequar, exemptus vulgo doctasque per auris  
 465 Ipse virum longos vivax volitabis in annos.  
 Nox caelum interea nigris involverat alis  
 Et placido miles laxabat corpora somno  
 Strataque per terras animalia fessa iacebant.  
 Rex vigilans animo curas casusque futuros  
 470 Et rerum ingentemolvebat pectore molem,  
 Extemplo Latiis iuvenis cui fulgidus armis  
 Visus adesse procul Martemque accendere dictis:  
 „Care nepos, potes hoc tardare ingentia cursu  
 Fataque fortunamque, tibi quae tradita, custos?  
 475 Imperio superum magnis accingere rebus.  
 Pugnandum meliore deo servandaque rursum  
 Roma tibi et generi rursum data gloria nostro.  
 Aspice me, tanti qui sum cognominis auctor,  
 Cui quondam galea corvus consedit in ista.  
 480 (Corvigerumque alle quatiens caput) Eia, age, segnem  
 Rumpe moram et tantis, sanguis meus, utere fati!“  
 Haec fatus cristis fulgentibus exiit arma  
 Telaque, terribilem nodis ac viribus hastam  
 Insignemque ense atque iterum sic ore profatur:  
 485 „Accipe digna tuis tandem virtutibus arma,  
 Quae tibi tam multos olim servata per annos:  
 Haec Cytherea suo quondam dedit aurea nato,  
 Haec soliti gestare patres, his fortiter usi,  
 Dum stetit imperium, sed, postquam a culmine lapsa  
 490 Roma ruit passimque omnem distracta per orbem est,  
 Ocului mecum Elysiis arma incluta campis.  
 At modo Sicaniis iterum Vulcanus in antris  
 Firmavit crassumque oris super addidit aurum.  
 Haec tibi do, generis lux o clarissima nostri,  
 495 Ne dubites acres in proelia poscere Turcas.  
 Indue et Ausoniam factis fer ad aethera famam!“  
 Talia narrabat, croceo cum flava serenum  
 Ore ferens Aurora diem pulsabat Olympum.  
 Sensit et ambrosio respersum rore nepotem  
 500 Deserit et caecae nocti se immiscuit heros.  
 Matthias monitis et tanto munere laetus  
 Singula miratur rutilis radiantia flammis  
 Et galeam et clypei longe venerabile textum.  
 Nunc illustre caput vestit, nunc brachia, latos  
 505 Nunc humeros aptatque altis accommoda membris  
 Et solito magis armorum fremitu excitus oestro.  
 Qualis ubi Etruscis Volaterrae in finibus urbis  
 Aetnaeo par flamma iugo de rupe cavata

Exilit, aspirant Boreas si forte Notusque,  
 510 Sulphureos tum terra vomens eructat acervos  
 Acrius ignescuntque magis per nubila flammae  
 Sibilaque ingeminant latrantibus effera saxis.  
 Ex illo assiduis vitam traducere castris,  
 Matthia, et duris statuisti incumbere rebus.  
 615 Arma cibos, dant arma toros placidumque soporem  
 Instratus clypeo nudoque in caespite carpis.  
 Contemptamne sitim referam somnumque famemque,  
 Concretas sudore comas spretosque calores  
 Ac rapidos longis superatos solibus aestus  
 620 Frigoraque Arctois devicta rigentia brumis?  
 Mollities alios turpique ignavia luxu  
 Lenta iuuet tenerisque quies ingloria plumis,  
 At te artes tractare iuvat Mavortis. Anhelum  
 Quis melius te frenat equum? quis flectit in orbes  
 625 Ocius? His stimulis agitari mallet Arion,  
 Te sessore ferox pensaret Cyllarus acrem  
 Castora, pensaret te Persea Pegasus ales.  
 Quem Bellona magis rutila tegit horrida parma?  
 Aegide quem tantum Pallas fulgente tuetur  
 630 Cuive suum totiens Gradivus commodat ensem?  
 Quis dura invictae dextra quatit acrius hastae  
 Robora? Cui pectus thorax animosius ambit?  
 Aeneas non maior erat, non divus Achilles,  
 Ambo animis alacres, armis caelestibus ambo.  
 635 Quis vaga castra locat te cautius, opprimit hostem  
 Durius aut cingit melius munimine vallum  
 Aut premit obsessas bello constantius urbes?  
 Quis patrio latos de more agitare per agros,  
 Ponere quis iunctos sciat aptius ordine currus?  
 640 Scis tormenta hosti venturo adversa locare  
 Et loca fluminibus vicina et pinguibus arvis  
 Deligere et duplicem castris deducere fossam,  
 In quamcunque libet faciem componere pugnae  
 Agmina, sive tua placeat seu lege priorum.  
 645 Omnia militiae calles documenta severae,  
 Quin genus armorum varium et, quo quisque superbit,  
 Ense minax, qua vi telum, qua torqueat hastam  
 Pectoraque et latos quo tegmine muniat armos.  
 Callida Sertori et regis mens vafra Molossi  
 650 Talis erat virtusve senis matura Camilli.  
 An tu Cantabricis Cimbrorum saepta maniplis  
 Castra perhorrescas? aut iuncto Gothus Alano  
 Aut coniurato si Vandalus aspera Poeno  
 In te bella ciant? An quisquam eludere tectis  
 655 Laetetur te posse dolis telisque fugare?  
 Firmior, undisono, scopulis, quos impete frangunt

- Auster et insanis nequiquam fluctibus aequor.  
 Obsistit bellis animus casusque futuros  
 Praesaga cum mente videt: Vis corporis acres  
 560 Strenua belligera sternit virtute cohortes.  
 Ac velut obscura densus caligine nimbus,  
 Qui varias atra concepit nube procellas  
 Post ignes rutilos et crebra tonitrua, praiceps  
 In silvam per inane ruit magnoque fragore  
 565 Frondiferas avium sedes atque alta volucrum  
 Culmina perpetuum geminans quatit ictibus imbrem  
 Et rapido tonsos prosternit turbine ramos,  
 Nulla equidem rarae monumenta ingentia pugnae  
 Egregia te clade latent: Marathoniam nosti  
 570 Bella Saguntinasque faces Cannasque Padumque  
 Et quanto Leucas, quanto Cathelonica tellus,  
 Emathii quotiens rubuerunt sanguine campi.  
 Ergo rudimenta et corruptae munera firmas  
 Militiae, ut bello teneris assuescat ab annis,  
 575 Ut sese ad varium fingat certaminis usum  
 Et parere ducum dicto matura iuventus  
 Discat et iniussae fugiat discrimina pugnae,  
 Iussa eadem infestis hosti concurrere telis  
 Ardeat ire ferox, curvo seu tendere gyro  
 580 Aut sit opus recto aut firmo decernere gressu  
 Sive urgere procul iaculis seu comminus ense  
 Ire, ducemque sequi legio per vulnera discat,  
 Sive pedes sive asper equo procedit anhelio,  
 Tentarit seu valle viam sive ardua montis  
 585 Per iuga seu caecis silvarum anfractibus erret,  
 Annosum veluti cervi ramosa ferentem  
 Cornua Strymoniaeque grues super atra sequuntur  
 Nubila ductorem et certo procul ordine cingunt.  
 Tum vero assensu felix exercitus alte  
 590 Conclamant vario:  
 „Dubiae iam nulla timemus  
 Fortunae te rege mala et te extrema iubente  
 Aethiopum impavidi ferro penetrabimus arva.  
 Tecum fluctisonis capita obiectare periclis  
 Non pigeat, tecum diris obsistere monstris  
 595 Et proprios piceis artus opponere flammis  
 Aut qua letiferas muralis machina glandes  
 Spargit et excussis creber sonat aere telis  
 Scorpius innumeraeque volant per spicula mortes.“  
 Talia magnanimo fundebant pectore dicta  
 600 Et, quocumque ruas, penitus te quisque ruentem  
 Prodigus in strictos animae comitabitur enses,  
 Ut tener, insuetas, iuvenis, cui pectore flammas  
 Ignis alit caraque animis in virgine fixis

Ille mare in medium, medios ille ibit in ignes  
 675 Intrepidus, cum iussit amor cumque impulit aestus,  
 Proiciet dulcem per mille pericula vitam  
 Optabitque sua dominae placuisse ruina.  
 Et, quoniam solers vires industria firmat,  
 Horrida continuis exerces corpora bellis.  
 680 Si quando siluere tubae valloque reflexo  
 Agmina sedatis iam captant otia rebus,  
 Venatum interea studiis flagrantibus itur.  
 Tum miles positis vibrat venabula pilis,  
 Tum nemorum canibus saltus atque avia lustra  
 685 Circumit et vastis figit pecora abdita silvis  
 Indicitque feris alio certamine bellum.  
 Moenia seu vacuus pacatis urbibus intrat  
 Multaque belligeris edit spectacula ludis  
 Aut ferit ense virum vir comminus aut petit hasta  
 690 Eminus; armorum conflictu personat aether  
 Vicinaeque procul silvae montesque reclamant.  
 Qualiter indomiti longis per compita tauri,  
 Quos trahit implicitos laqueis Romana iuventus,  
 Agmine cum toto Capitoli in vertice pugnant,  
 695 Si iuvenem curvis elatum cornibus alte  
 Excutiunt ac more pilae super aethera iactant,  
 Tum vero arrectis animis Aeneia pubes  
 Incessunt magnisque implent clamoribus urbem,  
 Tum vaga per septem responsant murmura montis.  
 700 Praeterea valido franguntur robora nixu  
 Ictibus et sonipes tantis collisus utrinque  
 Ingemuit, fuis equites labuntur habenis  
 Semineces rubroque lavant fora lata cruore.  
 Facta virum trepidae mirantur fortia turbae  
 705 Pectoraque invadit pavor et miserabile murmur,  
 Martia ceu magnis urbs quondam effusa theatris  
 In ferrum audaces vidit concurrere turmas,  
 Avertit largo maestos a sanguine vultus  
 Plurimaque exanimi matrona expalluit ore.  
 710 Quisque sibi dubiis hinc te fortissimus optat  
 Rebus habere ducem, tecum maioraque bello  
 Audet et in pugnam violentius ardet Erinys  
 Et magis horrendo duce te Mars intonat ore.  
 Nam quid lecta canam generosae robora pubis?  
 715 Quisquis Parrhasia fama celebratur ab Arcto,  
 Te colit et multo compulsus nomine gaudet  
 In partes transire tuas tuaque arma fovere.  
 Haud equidem, magna, desunt, qui Stentora voce,  
 Qui cursu Aiacem, qui viribus Hectora vincant;  
 720 Non unus tibi Tydides, non unus Ulixes  
 Militat, heroas post haec veneranda vetustas

Parcius heroumque duces extollat Atridas.  
 Non his, Matthia, modo formidabilis armis  
 Militibusque venis, nec te solertia tantum  
 655 Victorem aut duris facit experientia rebus,  
 Sed quod prisca fides pietasque Astraeaeque virgo  
 In pugnas te laesa ciet. Quis iustius arma  
 Induit aut pacis studio mage bella capessit?  
 Causa deo praesente ipso stat in agmine victrix,  
 660 Una tibi quando ante alios defenditur omnes  
 Relligio sequiturque ducem felicibus ausis  
 Conatus comitata tuos; ipsa unica bellis,  
 Urbibus ipsa tibi praeses, tecum ipsa volentes  
 Signiferosque in bella trahit memoranda penates.  
 665 Quippe aliquis superum turmas circumvolat ordo  
 Arma inter; fiunt ignes, flagrantia fiunt  
 Flumina, grandiferis ventique imbresque procellis.  
 Ergo numinibus fidens et nobile vasto  
 Munitus patriae virtutis robore pectus,  
 670 Cuncta tuis veluti subsidant viribus arma,  
 Nulla oblata feri detractas proelia Martis  
 Et nullum pugnae vitas genus acer iniquae  
 Occurrisque hosti, vel inundent milite montes,  
 Obvia vel densis peditum seges horreat hastis.  
 675 Ecce autem a Stygio furiarum prima barathro  
 Bella ferens flammasque Asiam bacchata per omnem  
 Threicium iuxta demissis Bosphoron alis  
 Constitit, urbs magnis ubi curvo in litore fatis  
 Spartano fundata diu sese erigit; illic  
 680 Gens effrena fero quondam cognata Gelono  
 Massagetae Turcaeque horrendo Marte fremebant,  
 Impius et Graio perfusus sanguine pectus  
 Arcem instaurabat domita iam victor in urbe  
 Magmedus, quem successu fortuna secundo  
 685 Coeperat ignavo captum corrumpere luxu.  
 Hic iuvenem tristi virgo Cocytica vultu  
 Patris Amurathae in faciem mutata labantem  
 Increpat et saevas dictis ita suscitatur iras:  
 „Ergone, quem neque bella valent neque, nate, labores  
 690 Invictum superare, quies atque otia frangent?  
 Non ita te caedes inter pugnasque cruentas  
 Erudii attritus galea pater. Eripe paci  
 Te, nate, et bellis immanibus insere bella.  
 An tibi bellorum pretium sit vile Corinthus,  
 695 Tunditur Euboico quaeque, inclyta marmore Chalcis  
 Scodraque, Dalmatiae pudor? En procul aspice, in armis  
 Aemulus Aeneadum quantus tibi sanguine surgat  
 Matthias. Huius fatis contraria nostris  
 Fata vides; saevo iuvenem prius opprime ferro,

- 700 Pannoniam patrio quam firmet robore gentem.  
Solus hic infirmo poterit, ni sternis, ab aevo  
Fortunae promissa tuae rescindere fata.  
Illius auspiciis fustum te vidit et armis  
Taurinum, vidit, cuius stat fronte cicatrix,  
705 Vulnus. An hoc unquam vulnus patieris inultum?  
Quid pater Hunniades? Quantis me affecerit olim  
Cladibus et dirae memorem discrimina mortis?  
Diripe iam factis lacerum crudelibus hostem  
Teque simul patremque tuis ulciscere bellis  
710 Et satura infenso maiorum sanguine manes,  
Tantarum si te ulla movent praeconia laudum.“  
Dixit et ardentem oculos suffusa cruore  
Taenareas imo fixit dea pectore flammam  
Et scelus et geminos per viscera concutit angues.  
715 Dein pennis invecta atris super agmina belli  
Eumenis inferno signum canit improba cornu  
Et victrix Erebi subito se reddidit umbris.  
Illi atrox mediis rabies insueta medullis  
Saevit et insano Stygius furor aestuat igni  
720 Aeagraeque letiferum sudant praecordia virus.  
Tum vero laxis praeceps Othomannus habenis,  
Aeolus ut caecis ventos emittit ab antris,  
Agmina per terras effundit et omnia late  
Arva ferox animis numeroso milite complet  
725 Ac, velut, obscenis Maurusia terra locustis  
Cum tegitur nigroque alarum obducitur imbrī,  
Una agros glomerata omnes tot milia vastant  
Et laetas densa populantur grandine messes,  
Sic in Dalmatico consedit litore Turca.  
730 Haud ego crediderim iuvenum tam multa secuta  
Milia Cambysem Lagea in regna furentem  
Aut Xerxem Aegaeo minitantem verbera ponto.  
Haec inter Scythica rex implacabilis ira  
Talibus incendit ductoris pectora Lydi  
735 (Illum propter Halyn Baccho concepit Amazon  
Mixta deo mixtumque illi dedit Ombrima nomen):  
„Magnanime, antiquum divum genus, inclyte bello  
Ante alios Halybacche, meis fidissime regnis,  
Dum me Dalmatico nequiquam Scodra tumultu  
740 Infelix tenet, i, saevis tu Pannonas armis  
Corvinumque impelle ducem, licet ille superbos  
Iactet avos patriisque insultet viribus hostis,  
Tu iuga Danubio Breucisque impone subactis.  
Novi ego, quos animos ingenti pectore verses,  
745 Turcarum decus, imperii spes maxima nostri,  
I celer et spoliis redeas ornatus opimis.“  
Extemplo Illyricis ductor se Lydius oris



Intulit, aut Euro Icaris cum pugnat in undis  
 Aut Coro similis magno cum murmure frangit  
 750 Herculeam Calpen serpentiferumve Atlanta,  
 Non illum aerii montes, non alta retardant  
 Flumina, concedit Macedo Mysusque Triballusque  
 Impiger et Turco calcantur milite Carni.  
 Verum, ubi collatis acies Corvina furenti  
 755 Obvia processit signis atque agmina contra  
 Matthias Tyrio emicuit Romanus in ostro,  
 Tum primum trepidare animis atque avertere vultus  
 Ductor Amazonius coepitque indigna suorum  
 Fata queri bisque in faustis assultibus amens  
 760 Vix celeri pervectus equo sese agmine fuso  
 Proripuit, bis terga fugae dedit obrutus hastis.  
 Ut se reliquias inter collegit et omnes  
 Palantes trepidus toto videt aequore turmas,  
 Multa gemens caelumque obtestans vocibus infit:  
 765 „Quis deus hic, Magmede pater, quae tanta tuetur  
 Matthiam superum facies? quid nostra relinquis  
 Signa? quid in primo mentem certamine turbas?  
 Non haec auspiciis olim sperare iubebas.  
 Heheu, quot periere viri, quot clara meorum  
 770 Lumina sunt extincta ducum! Da dedecus istud  
 Ulcisci, pater, et dignas me sumere poenas!“  
 Haec fatus toto vires parat acer ab orbe  
 Et maiore virum vi percitus emicat ardens.  
 Ac, veluti primi victus certamine cursus  
 775 Acer equus rursus cura firmatus herili  
 Carpit iter mediisque effert sese arduus arvis  
 Et palmam et raptos incassum exposcit honores,  
 Talis se bello Maeandrius intulit heros.  
 Quo, vesane, ruis fatis male fretus avitis?  
 780 Matthia sternente cades nec mater Amazon  
 Corniger aut genitor morientem iuverit Euan.  
 Interea magno celsam muniverat arcem  
 Aggere Taurinum contra curvamque bicornis  
 Ille Savi muris ripam firmaverat altis.  
 785 Non his audacem passus consistere Turcam  
 Finibus obsessas admoto milite turre  
 Vi capis et captas radicibus eruis imis.  
 Nec te, Matthia, belli vis ulla nec ullus  
 Impetus avertit dura obsidione prementem,  
 790 Moenia deiectis donec patefacta ruinis  
 Intrasti curru victor sublimis ovanti  
 Et validam infandis rapuisti ex hostibus arcem.  
 Tum vero obnixis animis Basterna iuventus  
 Ante arcem toto concurrunt agmine versam  
 795 Terque quaterque duces ineunt mala proelia Turci

- Effusique pedem retro impellente dedere  
 Pannone. Tum disiectae acies, resoluta phalangis  
 Et tristi compago ruit per vulnera casu,  
 Inclinat turbata cohors undantiaque urget  
<sup>800</sup> Agmina per medios volitans rex Hunnicus hostes,  
 Agminis ipse instar totius milia leto  
 Multa dat et vastam diversa strage ruinam.  
 Quae postquam extremo prospexit ab agmine ductor  
 Lydius et versis nescit succurrere rebus,  
<sup>805</sup> In cuneum coiere duces nec iam amplius ulla  
 Cura fugae est; foeda squalent arva omnia clade.  
 Tum demum iubet ira truci decernere ferro  
 Et decus et cara mortis pro laude cupido.  
 Evolat infelix caelum divosque precatus:  
<sup>810</sup> „Bacche pater, mundi quondam regnator Eoi,  
 Quisquis es et caeli quacunq̄ue in parte moraris,  
 Extremam, si me genuisti, hanc accipe vocem.  
 Non ego iam ulterius, genitor, non ulla reposco  
 Effugia; haud superesse velim tot caedibus unus  
<sup>815</sup> Testis et in patriam gentis pudor ipse reverti.  
 Iamque vale tuque ipse tibi cape funere tanto  
 Devotum hoc, Magmede, caput. Iuvat ire per enses,  
 Degenerem nec me ulla olim damnaverit aetas.“  
 Haec memorans densum properat muriturus in agmen.  
<sup>820</sup> Interea nigro quantos demittit Averno  
 Ille viros, quot calcat equo, quot traicit hasta?  
 Quis mihi, dux invicte, tuae nunc fortia dextrae  
 Facta canat? Stupuit mediis rex Martius arvis  
 Proelia miscentem et geminantem vulnera ferro.  
<sup>825</sup> Tunc inter gemitus magno sic ore minatur:  
 „Quo te dira lues verique ignara tonantis  
 Relligio miserum, quo te rapit, improbe? Letum  
 Quin potius fugis? Atque equidem iam septima promptum  
 Te potuit fecisse fuga. Aut, si tanta cupido est  
<sup>830</sup> Morte tuos maiore sequi, sequere.“  
 Inquit et ense  
 Fulmineum assurgens adigit per pectora dextra.  
 At iuvenis tanti prostratus mole lacerti  
 Thermodontiaco respersit sanguine terram  
 Lapsus equo dulcemque animam vomit ore cruento.  
<sup>835</sup> Infelix, seu aeterna manent incendia sontem  
 Seu dirae exercent in te tormenta sorores,  
 Laetior hac Stygias dextra fugis ictus ad umbras.  
 Hic oritur caedes faciesque miserrima pugnae.  
 Arva rubent alto late stagnata cruore  
<sup>840</sup> Plenaque sanguineis crescunt torrentia rivis  
 Et loca corporibus complentur tristia truncis.  
 Ut, cum Phlegraeis genitor Saturnius arvis



Terrigenas contra fratres stetit atque flagranti  
 Corripuit telo Enceladum, simul ad Styga trusit  
 845 Centimanum Briareum, simul anguipedem Typhona,  
 Bis septem vacuo Turcarum milia campo  
 Alitibusque ferisque iacent data pabula diris.  
 Ut procul, heu, tantum congesta strage cadaver  
 Saevaque magnanimus vidit spectacula princeps,  
 850 Utque arvo stetit in medio,  
     „Sat, cara, superque  
 Saevitum est.“ — clamat, — „legio, iam parcite victis.  
 Si quisquam cladi superest, sinite, ille supersit  
 Nuntius et Scythico referat mea facta tyranno.  
 (Tum genibus terram amplectens) Tibi, maxime, vota,  
 855 Christe deum, toto solvam non immemor aevo.  
 Tu puerum regno insignem clarisque triumphis  
 Auxisti; fortuna mihi te praeside laeta est.  
 Successu interea tali da, sancte, superbos  
 Excutere Ausoniis longe cervicibus hostes.“  
 860 Haec ait et magna responsant voce cohortes.  
 Ut primum tantae cladis per nubila raptus  
 Pervenit pavidas Othomanni rumor ad aures,  
 Ac velut instaret tergo et iam castra teneret  
 Pannon ab Illyrico properans iactantior Istro,  
 865 „O nimium Turcis Matthia nate ruinis,“  
 — Exclamat, — „quanta fraudas mea nomina laude.“  
 Tum secum illachrymans Scodram obsidione repente  
 Liberat et Graiis subito se reddidit oris,  
 Qualis Hyperboreum penna crepitante columba  
 870 Accipitrem fugit et praeceptis in lecta revertit.  
 Quod, nisi civilis revocasset fata tumultus,  
 Nunc tota imperio pareret Mysia nostro,  
 Sub iuga Turca ferox nec tot gauderet adactis  
 Urbibus insultans miseris nec strage cruenta  
 875 Tam multis vacuas viduasset regibus oras.  
 Scit Carnutus ager, Turcam, scit Mysia tota,  
 Cum premeres, quanto torquebas turbine telum  
 Fatifero caedens disiectas ense catervas,  
 Ceu secat incurvus flaventes messor aristas.  
 880 Talem belligera miscentem proelia mala  
 Crinibus et vastis fretum Samsona lacertis  
 Saepe Palaestinas fama est mactasse phalanges.  
 Ipse ruens rapido per strata cadavera cursu  
 Caesorum informes cumulis addebat acervos  
 885 Pulsabatque acies mala stridente coruscas.  
 Quot natos flevere patres et dulcia matres  
 Pignora? quot viduae raptos in bella maritos?  
 Quid modo, quam caute nosti ductare catervas,  
 Commemorem, aut pugnae quae captas tempora quave

890 Componis cuneos quave instruis arte maniplos,  
Seu densas campo explicuit seu totus aperto  
Ordinibus longis sectas exercitus alas?  
Ut solet acclivem per collem ponere vites  
Agricola innumeras, tum recto limite passim  
895 Mille vias et mille vias secat; omnis in ungueni  
Structus ager sudibus cannisque palustribus horret.  
Hinc fregisse mora nemo est te promptior hostem,  
Fortiter et duri tolerare incommoda Martis,  
Insomnis celsa qualis de puppe magister,  
900 Velivoli fluctus pelagi qui noverit omnes,  
Qua lateat rupes, ubi ferveat aestus harenis,  
Unde ruant imbres ventorum unde ingruat agmen.  
Surda prius taciti scrutatur murmura ponti  
Aeoliamque auras captando providet iram,  
905 Armat et ad, quaecunque parentur, proelia sese.  
Saepe nemus fluviumque et inexuperabile dorsum,  
Humano qua pressa pede vestigia non sunt,  
Ense viam faciente subis properandaque suetus  
Maturare hostem securo in limine segnem  
910 Ante expectatum vicino Marte lacessis.  
Ergo, vagus toto peragrat quem Sarmata tractu,  
Quem Geta quemque Aquilo glacialibus obruit alis,  
Ut procul insonuit Corvini nuntia late  
Fania ducis, linqunt tauros et aratra coloni  
915 Aviaque aversi sese in deserta relegant  
Pastores, errant incustodita per agros  
Armenta, at curvis trahitur casa pendula plaustris,  
Diique Lares frugesque focusque et parva supellex.  
Saepe puer carae nutricis ab ubere pendens  
920 Continuit querulos audito nomine fletus.  
Quin etiam subito partum clangore tubarum  
Territa abortivum rapta nurus edidit alvo,  
At non et celeres raptantem in proelia turmas  
Territa deseruit carum regina maritum,  
925 Itolidum, regina, decus, cui luce micantes  
Siderea flagrant oculi, cum dulce decoris  
Extulit os formosa genis, velut aethere puro  
Roscida puniceis oriens Aurora quadrigis.  
Non satis est castae mores studiumque Minervae,  
930 Non satis ambrosios Veneri rapuisse capillos  
Et plenas puero pharetras et lumina Phoebo,  
Musarum fruitur donis decimumque sedile  
Implet Amazonios audax aequare labores  
Et comes armatos it tecum fida per hostes.  
935 Qualis per densas acies Mithridatica coniunx  
Magnanimum sequiturque virum tergoque recepta  
Acris equi tenditque arcus et spicula vibrat

Atque huc atque illuc circumvolat omnia solum  
 Respiciens soloque oculos in coniuge fixa  
 940 Et secura sui caro timet illa marito,  
 Haud aliter generisque memor laudumque priorum  
 Milibus in mediis ardens pharetrata Beatrix  
 Robur Aragonium tenero sub pectore versat  
 Ingentesque subit curas, ingentia facta  
 945 Femina femineis maioraque viribus audet.  
 Talibus excitus patriis non degener armis  
 Undique collecto tota iam milite victor  
 Regni mole paras crudelem expellere Turcam  
 Thraciaeque Ausoniis avertere tela Volacis.  
 950 At te finitimis bellatrix Austria regnis  
 Impulit invitum saevis accingier armis  
 Atque alio vires, alio convertere ferrum.  
 Quid mea plus aequo, clamasti, vota moraris?  
 Quam male consultum rebus, fortuna, secundis?  
 955 Quid me, saeva, tenes, ineat, dic, foedera Caesar,  
 Qua ratione velit, dum patria iura supersint,  
 Quaeque tot ingenti bellis dicione paravi,  
 Tuta domi sint regna mihi; iam nulla recusem  
 Proelia, nulla necis fatique horrenda pericla.  
 960 Ibo per Ambracios saltus et Pontica scindam  
 Aequora et Argolico committam signa sub Isthmo  
 Prosternensque meis Dacos et lazygas armis,  
 Moenia tormentis quatiam Byzantia nostris.  
 Nulla mora est. Gelido tremuit conterrita vultu,  
 965 Quam gestas, fortuna, sinu; nihil hiscere contra  
 Ausa tuam geminis cervicem amplectitur ulnis  
 Occultumque animis pugnandi inspirat amorem  
 Atque novum molitur opus, nova bella ministrat.  
 Heu, quantum infelix lachrymarum atque, Austria, quantum  
 970 Sanguinis effundes, quid bellum insana lacessis?  
 Num te desidiaet taedet vitaeque prioris,  
 Otia degeneri fugis illaudata veterno?  
 Quo duce si mentem bellorum gloria tangit,  
 Tu melius toto fieri potes inclyta mundo,  
 975 Quam fuerat satius victorem admittere regem,  
 Moenibus et nullos contra tolerare labores?  
 Ecce triumphata iam nunc cervice recumbis  
 Et piget ingratis tantum durasse periclis.  
 Scilicet illa tuis, Matthia, obsistere demens  
 980 Viribus optabat, quem non compage nivali  
 Caucaseae rupes Rhodopeaque saxa ruentem  
 Sustineant, cui terra patet, cui panditur aether,  
 Cui via per medios aperitur in aequore fluctus.  
 Pone modum lachrymis nec solum, Roma, Quirites,  
 985 Marcellos iacta et Fabios et nomina prisca;

Corvinos Mariosque refert en magnus avitos  
Matthias virtute duces et fortibus ingens  
Patricios aequat factis bellator honores.  
Nam velut exarsit rapta pro coniuge in iras  
990 Taurus, ubi et duris acuit sua cornua saxis  
Et pedibus iam spargit humum iamque ora cruentus  
Terrifico terram mugitu et sidera complet,  
Talis finitimos bellum molitur in hostes  
Matthias, quaque arma trahit quaque agmina ducit,  
995 Omnia debilitata labant, ceu moenia vastis  
Arietibus concussa. Quid aut castella relicta  
Aut desolatas versu nunc prosequar urbes?  
Quid memorem eversas acies pugnataque bella  
Germanosque bono superatos milite montes,  
1000 Nec non Danubii victricia signa ferentis  
Mille altum ingentem contactum navibus alveum  
Aut quid marmoreae dicam expugnata Viennae  
Moenia et oppressas tantis conatibus arces  
Et longa insignem partum obsidione triumphum  
1005 Atque novam nuper tam magni nominis urbem  
Ardua disiectis curvantem bracchia muris  
Adiciam? Iam nunc spoliis vestire decoris  
Et postes et templa iuvat, iuvat humida ferre  
Serta coronatis victrici fronde capillis.  
1010 Urbs equidem vigili nunc primum libera cura  
Solvitur et festis ornat delubra corymbis  
Ipsaque letiferi nutrix Germania belli  
Palladiae crines ramis praecingit olivae.  
Incedunt patrio princeps de more senatus  
1015 Et plebs et nivea velatus veste sacerdos  
Exemploque tuo solvunt pia vota per aras  
Et sacra unigenae peragunt sollemnia Christo;  
Per fora perque vias passim diffusa iuventus  
Ingreditur cessantque operum artificumque labores.  
1020 Ipse triumphales inter victa agmina pompas  
Laetus agens curruque rotis invectus aenis  
Quadriiugo procedis ovans plaususque frementes  
Excipis, ingenti cum te clamore salutat  
Miles et armisonis complentur vocibus aerae.  
1025 Iam videor rutilas auro spectare curules  
Et regale auro solium argentoque superbum  
In medio populis te dantem iura subactis.  
Quanta quies animo (diris circumdatus armis  
Pacem fronte geris), quam formidabile nomen  
1030 Hostis eras, tam dulcis ades praesentia cari  
Principis. In te omnes, in te mirantia figunt  
Lumina et oblitis immoti sensibus haerent.  
Poenitet exacti per tanta pericula Martis.

Conclamant:

- „Validis cui propugnacula muris  
 1085 Clausimus et duras aerato cardine portas,  
 In quem tam multos bellum produximus annos?  
 O utinam, vallo trepidam cum cingeret urbem,  
 Nota ducis pietas placidi spectata fuisset,  
 Maestas vultus, ultro in sua castra ruentes  
 1040 Issemus tantis summissi colla tropaeis.  
 Haec ubi dicta, citos virtus auriga iugales  
 Ducit lora ferens et laeto candida vultu.  
 Pone sequens fortuna deam comitatur ovantem;  
 Una eodem fas atque pium vectantur in axe  
 1045 Atque honor et niveis volitans victoria pennis.  
 At chorus Aonidum cithara modulatus eburna  
 Mille modos totum vertunt a fontibus imis  
 In laudes Heliconae tuas et flumina Dirces.  
 Ipse egomet vario laudum distractus honore  
 1050 Obruior et captae blanda dulcedine mentis  
 Confusus stupeo nec sum, mihi crede, furori  
 Laetitiaeque satis cunctos aequare poetas,  
 Ardeo et Ausoniis superare Aeneida plectris.  
 Pars quota sed rerum, Matthis, est illa tuarum?  
 1055 Nam superant coeptis maiora audacibus, et quae  
 Nunc facis et quae venturos moliris in annos.  
 Ac, veluti si quis studeat cohibere tumentem  
 Eridanum aut, septemgeminus cum creverit Ister,  
 Noctes atque dies incurvas aggere ripas  
 1060 Agricola incassum metuens felicibus arvis  
 Munit et obducto circumdat flumina vallo,  
 Illi exundantes sinuoso gurgite late  
 Obiectam superant molem campoque potiti  
 Qualibet obiicibus bacchantur in aequore ruptis.  
 1065 Non aliter, quicumque tuas describere laudes  
 Dicendo cupit, ingenti stupet ille labore  
 Irrita pertaesus tantarum exordia rerum.  
 Calcatasne loquar glacies pulsataque crebris  
 Aequora quadrupedum pedibus vitreasque per undas  
 1070 Candida fluminibus tentoria fixa gelatis  
 Aut perlustratas referam tot cursibus oras,  
 Tot loca tam multis vulgo exornata tropaeis  
 Ac vario late fusos discrimine Dacos,  
 Illyrios Mysosque securiferosque Polonos  
 1075 Et domitum fractis iam pridem cornibus Albim,  
 An procul expulsos Nomadas serasque luentes  
 Pastores rupto Siculos pro foedere poenas,  
 Trinacriae Siculos quondam Scythiaeque colonos  
 Fortia magnanimos praebentes colla Volacos,  
 1080 Qui referunt prisca Romanam ab origine gentem?

Turcarum an servile iugum populisque paratum,  
 Proh dolor, Hesperiiis dominaeque minantia Romae  
 Fracta tua tot tela manu gentisque nefandae  
 Addam Dalmaticis tot strata cadavera campis?  
 1085 Magnanimus veluti Libycis regnator in arvis  
 Cum dirum fremit ore leo, si forte lacessit  
 Venator seu dura fames impellit in iras,  
 Dant quercus, dant saxa locum, fugit aequore toto  
 Segne pecus trepidaeque ferae spelaea requirunt;  
 1090 Aestuat ipse sui vindex ac caede cruentus  
 Mactat apros, vario lacerat certamine tauros,  
 Unguibus et volucres lyncas discerpit aduncis;  
 Ora madent sanie et fulvos cruor irrigat armos.  
 Mira fides, cristis quotiens flagrantibus ardens  
 1095 Involitas celsaque micis cervice tremendus,  
 Ut, cum terrifico Mavors horrentia cursu  
 Bistoniis terit arva rotis, victricia tecum  
 Fata trahis divumque omnes hominumque favores.  
 Ipse ferox oculis volucrem spirantibus ignem  
 1100 Instructos late cuneos sinuataque lustras  
 Cornua disponens peditumque equitumque catervas,  
 Tum te pulsa tremit magno cum murmure tellus  
 Bellatorum avidum stimulantem pectus equorum.  
 Nec mora; terribiles cum primum ad sidera torvum  
 1105 Intonuere tubae, cum se clangore vicissim  
 Increpitant, prior adversos ruis acer in hostes;  
 Quaque invadis atrox et qua vi fervidus instas,  
 Nil te ferre valet, tanto conamine praeceps  
 Funditus obtritas acies procul impetus aufert.  
 1110 Thracius, haud aliter, Boreae cum spiritus atris  
 Nubibus et pelago incubuit stridentibus alis,  
 Fit strepitus; qua parte ruit, caelumque fretumque  
 Proripiunt caeduntque minis; ille agminis instar  
 Diripit horrifero volitantem flamine mundum  
 1115 Atque, ubi crudescit furiarum verbere caedes  
 Et fera vipereo saevit Bellona flagello,  
 Non secus aggeribus ruptis torrentia torquent  
 Saxa simul, simul omne pecus silvasque natantes:  
 Non impune tibi quisquam venit obvius ultro  
 1120 Irritatque acres animos iramque lacessit.  
 Namque minax vultu requiemque moramque perosus  
 Sanguineum perrumpis iter per tela, per enses  
 Sternis agros, quatis infensas terroribus urbes.  
 Quale viam rapidum mediis ubi rupit ab astris  
 1125 Fulmen et arios disiecit turbine montes,  
 Concussae reboant turres urbsque alta remugit  
 Et precibus pavidae cumulant altaria matres.  
 I nunc et, saeculi laudatrix fama prioris,

- Hesperiam mirare fidem atque ingentia regum  
 1130 Nomina Gallorum et raptos orientis honores.  
 Non Athilae fortuna prior, non Gothica laurus  
 Germanumque decus nec victo maior Horonte,  
 Matthia, Saladinus erat, nec Graecia reges  
 Nec Babylon quos alta tulit quosque horrida laudat  
 1135 Africa, quos tepidi mirantur flumina Nili.  
 Quae regio laudum, Matthia, ignara tuarum?  
 Qui locus est usquam? Tanais te sentit et Arctos,  
 Te Gades Scotusque sonant, te caelifer Atlas  
 Eousque tuo turbatur nomine Ganges.  
 1140 Quin prostrata ducum concedant facta priorum,  
 Imperio quemcunque suo Byzantia tellus  
 Aut Romana dedit, fretus victricibus armis  
 Transierit licet Euphratem et superaverit Indum.  
 Nec vero Aegides tantis sese extulit actis,  
 1145 Centauros ferro Lapithas et Cresia quamvis  
 Mactarit monstra et Stygium concusserit orbem,  
 Nec Libycam secuit qui Gorgona quique Chimaeram  
 Ignivomo rapidas efflantem gutture flammas  
 Nec qui Colchiacum nudavit vellere Phasim  
 1150 Ausus inassueta primum freta scindere puppe.  
 Praeferri iam nemo potest tibi iure, superbis  
 Semideos armis aequas et solus in omnes  
 Heroas iam stare potes, lux temporis huius  
 Militiaeque parens et belli gloria, magnis  
 Laudibus obscuras veterum miracula rerum.  
 Salve, Martis honos, Martis genus, optima bello  
 Dextera, Romanis maioribus aemula virtus!  
 O felix nimium soboles, felicia quae te  
 Tempora, quae talem, tantum tulit inclyta tellus.  
 1160 Non magis aut Phoebus Delos aut Creta tonante  
 Aut gemino pugnax Lacedaemon gaudeat astro.  
 In freta prorumpens septena per ostia magno  
 Gurgite dum fluctus Ister turbabit amarus,  
 Dum patriis Latiae Musis memorabile linguae  
 1165 Vivet opus, nullo divi periturus in aevo  
 Matthiae durabit honos nec nominis unquam  
 Deficient monumenta sacri venturaque quondam  
 Saecula palmiferos delebunt nulla triumphos,  
 Scilicet Eois olim subnixa columnis  
 1170 Mausolea ruent altosque aequantia montes  
 Marmora pyramidum scindet longaeva vetustas,  
 At tua venturi vatium celebrata nepotes  
 Carmine facta legent et sero traditus aevo  
 Notus eris ducibus decus exemplarque futuris.  
 1175 Christe pater tuque, aetheriae qui ianitor aulae es,  
 Qui Vaticanum et Latialem respicis urbem,

Si benefacta iuvant et nominis ullus avari  
Restat honos, date felici pia numina cursu  
Longaevas in luce moras placidamque salutem  
1180 Et rapta imperii referentem sceptrā Latini  
Ne prohibete Italas orienti imponere leges.  
Quamquam stelligeri totiens plaga candida caeli  
Te revocat, cupide iam pridem celsa morantur  
Astra novum Arctoo sidus factura trioni,  
1185 Tu potius praesens hominum labentia cura  
Facta diu lentoque levis pete sidera gressu,  
Dum magnis maiora paras intexere rebus  
Affectasque viam merito sublimis Olympo.  
Quippe, ubi tot terrere Italas successibus urbes  
1190 Pergit tam multis elatus Turca triumphis,  
Classe natat tanta victor freta, maximus orbem  
Hesperium timor ingenti formidine pulsat,  
In te spes arrectae hominum curaeque repostae,  
Ut, cum caeruleis tempestas imbribus orta  
1195 Collectas glomerat nubes ac turbine nigro  
Praeceptis iam ruitura satis silvisque minatur,  
Si fax disiectos rutilis Titania nimbos  
Coepit equis afflare, neque irrita vota feruntur.



## ANNOTATIONES CRITICAE.

*Tit.* — Alexander—regis] *om.* Ge

*Ded.* — Dedicatio] *om.* e — *Tit.* Io. Cor. fil. Hungarie, Bohemie, Dalmatie, Croacie, Ramie, Servanie, Gallitie, Lodomerie, Romanie, Bulgarie, duci Austrie, Slesie, Lucenburgensie, marchioni Moravie, Lusacie G — *remp.* G — Hung. G — Regi—Cortesius] Alexander Cortesius regi Matthiae Corvino S. P. D. e — 1. quenque G — 5. prestantius e

*Ad Librum.* — *Tit.* Ad—14. hederas] *om.* e

*Laudes Bellicae.* — *Tit.* Laudes Bellicae] Alexandri Cortesii de laudibus Matthiae Corvin. regis Hung. ac Bohem. liber I. e — 2. Arma] Bella e — 3—4. Astrorum—Fictaque] Aemathiam rabiem et Carthaginis arma cruentae || Priscaque e — 5—7. Nos propriis—aetherias] At nos magnanimum canimus, quem suspicit aetas | Nostra, ducem, summo coelum qui vertice vivus || Tangit et etherias e — 6. sydera G — 7. petis] peti e — 10. Moeoniam e — 12. Cyrrha G — 13. si Phoebus—hoc] coluere tuo si e — 14. si] tu e — 24. aenea Ge — 25. Littoreas Ge — 42. prophanas Ge — 45. Tu] Quin e — domitas et] et pacatas e — 47. antiqui] prisci e — *post* 47. Artibus antiquumque bonis proponis honorem e — 48. hydrē G — 49. Foecundumque Ge — 50. Ixionias, a *in corr.* G — 54. hyaspis G — 56. partis e — 57. herentem e — 63. sevos e — *post* 63. Triginta vario victor discrimine bellis e — 66. Bisthoniis e — 68—70. *om.* e — 72. sydera e — 79. Pellea Ge — 86. Neptunius Ge — 94. sydera e — 97. ethra e — 98. Elysae e — 99. querqu e — 102. foetae Ge — 112. longa] varia e — vita] voce e — *post* 112. Semper et auguriis venerabilis omnibus ales e — 120—21. sese—veniunt] devovit seseque suosque || Quando haec eveniunt nobis e — 122. Ista] Signa e — foetum Ge (*v. Corr. pag. 34.*) — 129. coeli e — 135—36. votis—Elisa] longo votis labem eximit aevo || Induiturque novam purgato pectore mentem e — 138. repetens] reputans e — 139. Elysae e — *post* 139. Arduus excelsis oculis defixus ab Arcis || Lata pii longum spectabat Pannonis arva e — 140. His incorruptam] Inde his intactam e — 142. penas e — *post* 142. Et properem excidium mundi flagrante ruina e — 150. Magmedus] Maumetus e — 159. nymbis e — 170. sequuturum e — 173. secula e — 174. Haec] Nec e — 184. langore G — 185. nominis e — 187. in] et e — parvulus] parvus in e — 189. Othrisium e — 191. Thirynthius e — 200. rutilus *corr. ex* rutilius G — 201. Aethnaeis e — 202. Ciclopes e — 210. moestus Ge — 216. Phorcinida Ge — levae e — 223. arridere] ardore G — *post* 223. Lucidaque inexasis spectare obtutibus aera e — 224. armorum sonitum] armorumve sonum e — 225. horrebas] horrebas trepidum puer aegraque luclu | Murmura terrifico e — 228. sonitusque] strepitusque e — damae Ge — 240.] Exanimes fractis impingere moenibus hostes e — 240. tedis G — 242—44. *om.* e — 243. Annibal G — 245. quoties e — 246. quoties e — occurrere] obsistere e — 255—57. *om.* e — 266. *est post* 268. — 267. Ille et] Idem e — Mose G — *post* 268. *sunt* 266. *et* Ille dies pugnae semper sacer ille serenus || Semper erit castique colent in secla minores || Pontificumque eterna fides venerabitur aris. || Fortunatae puer primoque a limine vite || Felix, qui priscis auxiliisti nomina fastis e — 271. Bosphorus Ge — 273. Tucarum e — 275. Iupiter Ge — 276. arctus Ge — 284—86. (285. *v. post* 345.) || lam mors obscura niveos ferrugine vultus || Textit; sic placitum superis, qui regna gubernant e — 286. meus] mens G — 287—88. *sunt post* 345. e — 288. lacrimae e —

295—97.] Tum te Pannonium primo sacra purpura regum || Vestiet et tanto successu elata superbum e — 295. Misia G — 298. tuo et caput] caput tecum e — 299. regnum famamque] imperium patriamque e — *post* 306. Et coniurati Christum depellere Turcae e — 313. cytharam e — choraeas G — 314. convivia—parabunt] lautis convivia mensis e — 317. sydera e — 321. astrigeris—bis] astra vago petiit radiantia curru e — 323. Aegit e — 325. nequicquam G — 329. acrem] ipsum e — 332. virum—indomitum] acrem perimit Cilium e — 335. hostilij] inimico e — 336. Germanius e — 337. dolis] capit e — 338. Occupat ac] Nec mora cum e — 339. intonsa] abscesa e — 340. Heret iunctis e — 345. pulcros e — arctus Ge — *post* 345. Et calido flavos respersit sanguine crines (v. 255.). || Quis, vita, tua, digne puer, nunc facta futurus] Quisve canat, quam magnus eras, si fata tulissent. || At miser ante diem et tenero cadis integer aevo *et* 287—88. et Quantis ille dies implevit questibus auras || Quotve pio gemitus fuderunt pectore matres? e — 346. lacrimas e — patriusve] moestusve e — 350. Riphea e — 362. cathenis Ge — 369. Circuit e — 383—90. *om.* e — 392. praelia Ge — 401. Thesiphones Ge — 403. Bellua Ge — 406. circumspicis e — 408. indomitos G — 409. fluctibus altum] limine in ipso e 410. vincenda] sternenda e — 412. propiusque—labes] dirique insultant faucibus angues e — 415. illesa e — 416. arcus Ge — 418. diroque] tetroque e — 426. amhusta e — 429. tuis] piis e — 431. cathenis Ge — 432. coetu] regem e — honoro] ovantes e — 433. Florentis e — 436—40.] Hic pia magnanimi celebrantur Pannonis acta || Mathiasque deum dono demissus ab astris || Laudatur puer et studiis accensa faventum || Illyricis fremit ora iugis, ceu Strymona circum || Aut Hebrum cum terrifico fulgore coruscus || Victor ovas et scepra tenes horrenda, pater Mars, || Mars, superum decus et magni lux inclyta coeli || Quo laudes prius ore tuas, quo carmine dicam? e — 445. Gethis G, Gelis e (v. *Corr. pag. 34.*) — 450. littore Ge — 452. commertia Ge — 453. coelo e — 456. nunc—oris] procul Europae gelido iam victor ab orbe e — 457. avertis—urbibus] Hesperis avertis sedibus e — 458—60. *om.* e — 461—65. *sunt post* 1053. e — 463. Matthia—rursus] Incipiam meliore lyra e — 464. auris e — 466. coelum e — 467. miles placido e — 468. *om.* e — *post* 474. Nonne vides, ut dura vocant in bella trahuntque? e — 480. quatiens] quassans e — 487. Cytheraea Ge — 492. Sicanis e — 495. praelia G — 501. tanto—laetus] munere laetus et armis e — 503. longe—textum] textum et thoraca nitentem e — 504. nunc] modo e — brachia G — 505. accomoda e — 507. Ethruscis Ge — 508. Aethnaeo e — 515. thoros Ge — 516. cespite Ge — 517—20. *sunt post* 639. e — 523. Te Martem te bella iuvat tractare frementem e — 526—27.] Preberetque suos potius tibi Cyllarus armos || Quique levem secuit velocibus aera peninis || Sideraque hinnitu volitans afflavit anhelos e — 528—32.] 531—32., 528—30. e — 534. coelestibus e — 539. iunctos] uinctos e — *post* 539. Non ego, quam caute nosti ductare catervas, || Transierim, aut pugnae quae captas tempora quave || Digeris in cuneos quave instruis arte maniplos || Seu densas campo explicuit seu totus aperto || Ordinibus longis sectas exercitus alas e — 541. et] aut e — 542. et] aut e — 543. quancunque G — 551—60. *sunt post* 674. e — 551. Sarmaticis] Cantabricis e — Cymbrorum e — 551. septa Ge — 561—67. *sunt post* 802. e — 561. Ac velut] Qualis ubi e — nymbus e — 565. volucrum] ferarum e — 566. Culmina] Limina e — 572. Aemathii Ge — 504. quates e — 581. urgere] instare e — cominus Ge — 585. amfractibus Ge — 590. Adclamant e — 591. Fortunae—rege] Belli te ductore e — 593. fluctisonis—periclis] fluclisonae—Maleae e — 595. piceis] rapidis e — arctus Ge — 596. lethiferas e — 608. vires solers e — industria] vigilantia e — 611. ocia Ge — 614. Iustrat e — 615—16.] Cumque feris medio pugnax bellatur in arvo e — 617. intrans e — 618. edit] edunt e — 619. cominus Ge — 626. ethera e — 629. Tum] Et e — 630. fraguntur e — 631—32. et—Ingemuit] ingemuit sonipes collis utrinque, || Hastarum et medias volitant fragmenta per auras. || Nec requies e — 636. ceu] sic e — 638. moestos Ge — *post* 639. *sunt* Tunc alacres ardent; pugnas desertaque nusquam || Arma ferunt acies inopina ad bella paratae. || Hinc fregisse mora nemo est te promptior hostem || Fortiter et duri tolerare incommoda Martis *et* 517., 520., 518., 519. *et* Calcatasne loquar glacies pulsataque crebris || Aequora quadrupedum pedibus vitreasque per undas ||

Candida fluminibus tentoria fixa gelatis e — 641. tecum—bello] maioraque facta sub armis e — 642. Erynnis Ge — 644—52. *om.* e — 650. Ulysses G — 653. Non—Matthia] Sed non his, bone rex e — 654. sollertia G — 656. quod] quia e — 657. pugnas—Quis] pugnam rapuere quis aut te e — 661. felicibus] dea fortibus e — 664. memoran a penates] Maurtia divos e — 667. hymbresque Ge — 670. velu'i—viribus] quasi—conatibus e — 671. *om.* e — 671. praelia G — 672. E] lam e — *post* 674. *sunt* 551—61., 899—905. *et* Haud secus invigilat mediis pater Hunnicus armis e — 675. Ecce] Icce e — baratro Ge — 676. feres e — 677. Bosphoron Ge — 679. Sparthano e — diu] dum G, duci e (*v. Corr. pag. 34.*) — illi e — 681. Massagethae Ge — 684. Magmedus] Maumetus e — 690. ocia Ge — 694. precium Ge — Chorynthus Ge — 707. dire e — 713. Tenareas Ge — 717. Herebi Ge — 720. laethiferum G, laethiferum e — 726. hymbri Ge — 729. littore Ge — 731. Lagaea Ge — 732. Xersem Ge — Aegaeo] Aegeo G, pavido e — 735. Halym G — 750. Athlanta Ge — 752. Tryballusque Ge — 758. cepitque e — 764. coelumque Ge — 765. Magmede] Maumete e — 790. donec e — 795. praelia Ge — 801. laetho Ge — *post* 802. *sunt* 561—67. e — 809. coelum G — 810. Aeo] Ge — 817. Magmede] Maumete e — 821. traicit Ge — 827. Laethum Ge — 833. Thermoodontiaco Ge — 835. mauent e — 844. Encheladum Ge — 855. Criste e — 866. nomine e — 867. illacrimans Ge — 879. aristans e — 880. praelia e — 881. Sansona Ge — 882. Palestinas Ge — 884. cumilis e — 885. strioente (*in corr. o?*) e — choruscas Ge — 888—98. *om.* e — 889. Comemorem G — 899—905. *sunt post* 560. (551—60 *sunt post* 674.) — 902. hymbres Ge — 905. quecumque G — praelia Ge — *post* 905. Haud secus invigilat mediis pater Hunnicus armis e — 922. aedit e — 923. praelia e — 924. carum] coram e — 926. Sidereo e — 927. etere e — 731. Phaebo e — 935. Mithrydatica e — 945. Foemina foemineis Ge — 949. averttre e — 955. inheat e — 957—58. Quaeque—iam] Et dum regna quies habeat mea e — 957. ditone G — 959. Praelia Ge — 962. lazigas e — 963. nostris] vastis e — 969. lachrimarum e — 971. tedet Ge — 972. Ocia Ge — 981. Rhodopeaque] Rhodopeaque G, Alpinaque e — 983. equore filuctus e — 984. lachrimis e — 988. Patrios e — 989—92.] 1085—93. e — 993. bellum molitur] se fert Romanus e — 998—99. *om.* e — 1002. Aut—dicam] Magnaque mar:moreae tandem e — 1006. disiectis] convulsis e — brachia Ge — 1010. equidem] etiam e — 1011. chorymbis e 1012. laethiferi e — 1015. nivea] crocea e — 1016. tuo] ducis e — 1017. unigenae] aetherno e — solennia G, solemnia e — 1018—19. *om.* e — 1021. ahenis Ge — 1929. formidale e — 1030. presentia e — 1032. oblitis] attonitis e — 1034. Coclamant e — 1039. in sua] ipsa in e — 1040. tantis—tropaeis] tanto submissi brachia regi e — trophoeis G — 1042. laeto—vultu] fatis laeta secundis e — 1044—45.] Filius una eodem vehitur, tua cura, Iohannes || Impubes curru patriosque recenset honores, || Optat et a prima meritis aetate triumphos e — 1044. phas G — 1046. cythara e — modulatus] meditatus e — 1049. honore] amore e — 1052. Laeticiaque G — cunctos aequare] omnes anteire e — 1053. superare] aequare e — *post* 1053. *sunt* 461—65. e — 1054. sed—illa] nam rerum sunt haec, rex magne e — 1055. Nam] lam e — caeptis e — 1058. Hister G — 1064. obicibus] aggeribus e — 1065. Non] Haut e — describere] comprehendere e — 1066. ingenti—labore] is rerum stupet attonitus vi e — 1067. pertesus Ge — tantarum—rerum] tantorum exorsa malorum e — 1068—71. Calcatasne—tot] Laudum maius adhuc superest opus ipsaque deficit || Materia superante dies, sed prima furoris || Ista mei fuerint firmis praeludia Muis, || Cum loquar eversas urbes penitusque sequutus || Tot perlustratas subtexam e — 1072. tropois G — *post* 1072. Pacatosque novis pugnaces legibus Hunnos, || Quos plaga Pannoniam misit glacialis in oram e — 1073. Dacas G — 1076. An] Aut e — Nomadas] Istros e — 1077. faedere e — 1078. Thrynacriae G — quondam Siculos e — 1079. prebentes e — Volachos G — 1080. referunt] teferunt e — 1081. an] aut e — 1082. Hesperis] Ausoniis e — 1083. nephandae e — 1084. Dalmaticis—strata] Pannoniis prostrata e — 1085—93. *sunt post* 988. *pro* 898—92. e — 1085. Lybicis e — 1087. seu—fames] telisque graves e — 1089. trepideque e — spaelaea G, spelea e — 1090. Estuat e — cede e — 1091. vario] multo e — 1092. volucres] varios e

— aduncis] ad unas e — 1093. fulnos e — 1097. Bisthoniis Ge — 1100. Instructas e — 1104. terribiles] raucisonae e — sydera e — 1110. haud aliter] ac veluti e — 1113. caeduntque minis] caduntque nimis e — 1114. horrisono e — 1117. aggeribus—torrentia] in pelagus torrentia flumina e — 1128. secti e — 1135. Aphrica G — 1137. Thanais G — sentis e — 1138. Athlas Ge — 1139. Aeosusque Ge — 1140. concedunt e — 1141. quencunque Ge — 1145. Lapythas—Cressia G — 1149. Cholchiacum e — 1150. insueta (*sic*) e — 1158. suboles e — 1162. hostia Ge — 1163. Hister G — 1165. divi] magni e — 1167. deficient e — 1168. Secula e — 1169. Aeois Ge — 1170. Mausolaea Ge — 1175. aeteriae e — 1182. tolies e — 1184. Arctoo] septem e — 1185. presens e — 1186. sydera e — 1194. hymbribus Ge — 1197. nymbos e — 1198. ferruntur e — *post* 1198. Finis e

## INDEX NOMINUM.

D: Dedicatio — L: Ad Librum (pag. 2.)

- Achaica** regna 151.  
**Achilles** L, 11.; 80, 533.  
**Aeacides**, Philippus rex Macedoniae 79.  
**Aegaeus** pontus 732.  
**Aegeus** 81.  
**Aegides** (*v.* Theseus) 1144.  
**Aelius** 322.  
**Aeneadae** 194, 255, 697.  
**Aeneas** 533.  
**Aeneia** pubes 627.  
**Aeneis** 1053.  
**Aeolia** ira 904.  
**Aeolus** 722.  
**Aethiopes** 593.  
**Aetnaeum** iugum 508. **Aetnaeae** fornaces 201.  
**Africa** 1135.  
**Agelaus** rex 331.  
**Ajax** 649.  
**Alanus** 552.  
**Alba** (*v.* Taurinum) 65, 253.  
**Albis** 1075.  
**Alcides** (Hercules) L, 11.; 453.  
**Alemannia** 269.  
**Alpes** 243.  
**Amazon** 735, 780.  
**Amazonius** ductor (*v.* Halybacchus) 758.  
**Amazonii** labores 933.  
**Ambracii** saltus 960.  
**Amuratha** 687.  
**Amyclaeus** honor 357.  
**Anchises** 81.  
**Aonides** 1046.  
**Aquila** 912.  
**Arabs** 210. **Arabes** 408.  
**Aragonia**, Beatrix de 942.  
**Aragonium** robur 943.  
**Arctos** 645, 1137.  
**Arctous** axis 19. — rex (*v.* Corvinus, Matthias) L, 3. — trio 1184. **Arctoa** gens 363. **Arctoeae** brumae 520. — terrae 173.  
**Argo** 2.  
**Argolicus** Isthmus 961.  
**Arion** 525.  
**Asia** 676.  
**Astraea** 656.  
**Athila** 1131.  
**Atlas** 750, 1138.  
**Atridae** 652.  
**Aurora** 498, 928.  
**Ausonia** cervix 859. — fama 496. **Ausonii** Volaci 949. **Ausonia** pleetra 1053.  
**Ausonidae** 214, 280.  
**Auster** 150, 557.  
**Austria** D, tit; 950, 969.  
**Avernus** 177, 820.  
**Babylon** 1134.  
**Bacchus** (*v.* Euan, Lyaeus) 735, 810.  
**Basterna** iuventus 793.  
**Beatrix** de Aragonia, *v.* Aragonia, Beatrix de.  
**Bellona** 528, 1116.  
**Bisalta** 43.  
**Bistoniae** rotae 1097. **Bistoniam** ossa 66.  
**Bohemia** D, tit.  
**Bohemica** portenta 429.  
**Bohemus** 44.  
**Bootes** 70.  
**Boreas** 350, 509, 1110.  
**Bosporos** 677. **Bosporus** 271.  
**Breuci** 743.  
**Briareus** 845.

- Britanni** 445.  
**Bulgaria** D, tit.  
**Byzantia** tellus 1141. **Byzantia** moenia 963.  
**Caesar**, C. Iulius 207, 256. —, **Federicus** III. 955.  
**Calpe** 750.  
**Cambyses** 731.  
**Camillus** 550.  
**Cannae** 570.  
**Cantabrici** manipuli 551.  
**Capitolium** 624.  
**Carni** 753.  
**Carnutus** ager 876.  
**Castor** 357, 527.  
**Cathelanica** tellus 571.  
**Caucaseae** rupes 981.  
**Centauri** Lapithae (*sic*) 1145.  
**Chalcis** 695.  
**Chaonia** arva 231.  
**Chimaera** 1147.  
**Christiana** respublica D, tit., 6.  
**Christus** 263, 855, 1017, 1175.  
**Cimbri** 551.  
**Cirrha** 12.  
**Cocytica** virgo 686.  
**Colchiacus** Phasis 1149.  
**Corinthus** 694.  
**Cortesia** orsa 461.  
**Cortesius**, Alexander D, tit.  
**Corus** 749.  
**Corvinus** (*Corvus*), M. Valerius 207.  
**Corvini** 986.  
**Corvinus**, Iohannes (v. Hunniades) D, tit. —, Ladelaus 288. —, Matthias (v. Arctos rex, Corvinus dux, Hunnicus rex, Martius rex) D, tit.; L, 12, 13.; 11, 68, 84, 329, 463, 501, 514, 653, 698, 741, 756, 766, 780, 788, 979, 987, 994, 1054, 1133, 1136, 1166.  
**Corvinus** dux (v. Corvinus, Matthias) 913. **Corvina** acies 754.  
**Cresia** monstra 1145.  
**Creta** 1160.  
**Croatia** D, tit.  
**Cyclopes** 202.  
**Cyllarus** 526.  
**Cytherea** (v. Venus) 487.  
**Daci** 212, 962, 1073.  
**Dalmata** 128.  
**Dalmatia** D, tit.; 696.  
**Dalmaticus** tumultus 739. **Dalmaticum** litus 729. **Dalmatici** 1084.  
**Danubius** 349, 743, 1000.  
**David** 375.  
**Delos** 3160.  
**Delphica** templa 11.  
**Dione** (= Venus, v. Venus) 194.  
**Dirce** 1048.  
**Dis** 3.  
**Elisa**, mater Matthiae Corvini 98, 136, 139.  
**Elyses** 325.  
**Elysiis** campi 491.  
**Emathii** campi 572.  
**Enceladus** 844.  
**Eous** Ganges 1139. — mundus 810.  
**Eoae** columnae 1169.  
**Epirus** 152.  
**Erebus** 717.  
**Eridanus** 1058.  
**Erinyes** 642.  
**Etrusci** fines 507.  
**Euan** (v. Bacchus) 781.  
**Eubolcum** 695.  
**Eumenis** 716.  
**Euphrates** 1143.  
**Europa** 298, 456.  
**Eurus** 150, 748. **Euri** 428.  
**Fabii** 895.  
**Federicus** III., v. Caesar, **Federicus** III.  
**Fortuna** 329.  
**Gades** 1139.  
**Gallitia** D, tit.  
**Gallus** 454. **Galli** 1130.  
**Ganges** 1138.  
**Gelonus** 680.  
**Germania** 1012.  
**Germanus** rex (v. Caesar, **Federicus** III.) 336. **Germanum** decus 1132.  
**Germani** montes 999.  
**Geta** 912. **Getae** 445.  
**Gorgo** 1147.  
**Gothica** laurus 1131.  
**Gothus** 552.  
**Gradius** (v. Mars) 195, 530.  
**Graecia** 1133.  
**Gratus** sanguis 682.  
**Halybacchus** (v. Amazonius ductor, Lydius ductor, Maeandrius heros) 738.  
**Halys** 735.  
**Hannibal** 243.  
**Hector** 649.  
**Helicon** 1048.  
**Hercules**, v. Alcides, Tiryntius infans.  
**Herculeus** lacertus 400. **Herculea** Calpe 750.  
**Hesperius** orbis 242, 1192. **Hesperia** fides 1129. **Hesperii** 1082.  
**Horontes** 1132.  
**Hungaria** D, tit. (*bis*).  
**Hunniades** (v. Corvinus, Iohannes) 62, 71, 120, 160, 272, 326, 333, 706.  
**Hunnicius** rex (v. Corvinus, Matthias) 800.  
**Hunnus** 300.  
**Hussius** 394.  
**Hypanis** 271.  
**Hyperboreus** accipiter 869. **Hyperborea** bruma 36.

- Iasonii** heroes 2.  
**Iaza** 383.  
**Iazyges** 962.  
**Icariae undae** 748.  
**Iliacae flammae** 1.  
**Illyricum** 152.  
**Illyricus Ister** 864. **Illyriacae orae** 296, 747.  
**Illyrii** 1074.  
**Indus** 210, 1143.  
**Ister** 864, 1058, 1163.  
**Isthmus** 961.  
**Italiae leges** 1181. — **urbes** 1189.  
**Italia** 41.  
**Italidae** 925.  
**Iuno** 166.  
**Iuppiter** (v. Saturnius genitor) 190, 275.  
**Ixionii rotatus** 50.  
**Lacedaemon** 1161.  
**Lagea regna** 731.  
**Lapithae** 1145.  
**Lares** 918.  
**Latia lingua** 1164. **Latia arma** 471.  
**Latialis urbs** 1176.  
**Latinus populus** 75. **Latinum imperium** 1180.  
**Leucas** 571.  
**Libyca Gorgo** 1147. **Libyca arva** 1085.  
**Lodomeria** D, tit.  
**Lucenburgensia** D, tit.  
**Lucifer** 436.  
**Lucina** 166.  
**Lusatia** D, tit.  
**Lyaeus** (v. Bacchus) 453.  
**Lydius ductor** (v. Halybacchus) 734, 747, 804.  
**Macedae** 269.  
**Macedo** 752.  
**Maeanirius heros** (v. Halybacchus) 778.  
**Maeona chelys** 10.  
**Maeotica regio** 36.  
**Magmedus** 150, 177, 684, 765, 817.  
**Marathonia bella** 569.  
**Marcelli** 895.  
**Maria virgo** 141.  
**Marii** 986.  
**Mars** (v. Gradivus, Mavors) 39, 44, 189, 439, 472, 643, 671, 681, 898, 910, 1033, 1156 (*bis*).  
**Martius rex** (v. Corvinus, Matthias) 823.  
**Martia urbs** 636.  
**Massagetae** 681.  
**Matthias Corvinus**, v. Corvinus, Matthias.  
**Matrusia terra** 725.  
**Mausolea** 1170.  
**Mavors** (v. Mars) 199, 458, 523, 1096.  
**Messalae** 60.  
**Minerva** (v. Pallas) 929.  
**Mithridatica coniunx** 935.  
**Moesia** 295.  
**Molossus rex** 549. **Molossa indoles** 233.  
**Moravia** D, tit.  
**Moses** 267.  
**Musa** 33. **Musae** L, 9.; 13, 461, 1164.  
**Mysia** 872, 876.  
**Mysus** 752. **Mysi** 1074.  
**Nemesis**, v. Rhamnusia.  
**Neptunius equus** 86.  
**Nervius** 255.  
**Nilus** 1135.  
**Nomades** 1076.  
**Noricus mundus** 296. **Norica arma** 43.  
**Notus** 509.  
**Odera** 424.  
**Olympus** 20, 228, 263, 498, 1188.  
**Ombrina** (Amazon) 736.  
**Orcus** 146.  
**Othomannus** 862. — **princeps** 721. — **rex** 258.  
**Othrysius Mars** 189.  
**Padus** 570.  
**Palaestinae phalanges** 882.  
**Palladia oliva** 1013.  
**Pallas** (v. Minerva) 215, 529.  
**Pannon** 797, 864. **Pannonnes** 740.  
**Pannoniae** 295, 403.  
**Pannonia** 128. **Pannonia aula** 336. — **gens** 700. **Pannonium nomen** 72.  
**Parcae** 219.  
**Parrhasia Arctoa** 645.  
**Pegasus** 527.  
**Peleus** 80.  
**Pellaea proles** (Alexander Magnus) 79.  
**Persae** 454.  
**Perseus** 257.  
**Petrus apostolus** 132.  
**Pharaoniae alae** 266.  
**Phasis** 1149.  
**Philippus rex Macedoniae** 79.  
**Phlegraea arva** 842.  
**Phoebea avis** 96.  
**Phoebus** 13, 931, 1160.  
**Phorcynis** 216.  
**Pierides** 24.  
**Pierius cantus** 4. **Pieria hederia** L. 14.  
**Poenus** 553. — **Hannibal** 242. **Poeni** 454.  
**Pollux** 356.  
**Poloni** 1074.  
**Pontica aequora** 960.  
**Praga** 397.  
**Pyrenaei saltus** 244.  
**Quirites** 984.  
**Ramia** D, tit.  
**Rhamnusia** (Nemesis) 193.  
**Rhodoepa saxa** 981.  
**Riphaea iuga** 350.  
**Roma** D, 6.; 131, 153, 154 (*bis*), 477, 490, 984, 1082.

- Romania** D, tit.  
**Romanus** honos L, 13. — Matthias 756. **Romana** gens 1080. — iuventus 623. — tellus 1142. **Romanum** carmen 460. — nomen 33, 214. — semen 83. **Romani** 455. — maiores 1157. **Romana** palatia 41.  
**Romulea** gens 71.  
**Romulus** 195.  
**Saguntinae** faces 570.  
**Saladinus** 1131.  
**Samson** 881.  
**Sarmata** 911.  
**Sarranum** ostrum 311.  
**Saturnius** genitor (v. Iuppiter) 842.  
**Savus** 784.  
**Scipiades** 206.  
**Scodra** 696, 739, 867.  
**Scotus** 1138.  
**Scythia** 43.  
**Scythia** 1078.  
**Scythicus** tyrannus 853. **Scythica** ira 733. **Scythicae** undae 271.  
**Sertorius** 549.  
**Serviania** D, tit.  
**Sicania** antra 492.  
**Sicilia**, v. **Trinacria**.  
**Siculi** coloni 1078. — Cyclopes 202. — pastores 1077.  
**Sidonium** ostrum 373.  
**Slesia** D, tit.  
**Solyma** aura 322. — patria 151.  
**Spartanus** dux 679.  
**Stentor** 648.  
**Stephanus** sanctus rex Hungarorum 414.  
**Strymoniae** grues 587.  
**Stygius** furor 719. — orbis 1146.  
**Stygium** barathrum 675. **Stygiae** umbrae 837.  
**Styx** 844.  
**Taenareae** flammae 713.  
**Tanaïs** 1137.  
**Tartarea** labes 407.  
**Taurinum** (v. Alba) 64, 704, 783.  
**Thebana** arma 1.  
**Thermodontiacus** sanguis 833.  
**Theseus** (v. Aegides) 82.  
**Thracæ** 408.  
**Thracius** spiritus 1110. **Thracia** tela 949.  
**Threicius** Bosporos 677. — Mars 39.  
**Tirynthius** infans (Hercules) 191.  
**Tisiphone** 401.  
**Titania** fax 1197.  
**Tityos** 49.  
**Triballus** 752.  
**Trinacria** (Sicilia) 1978.  
**Tritonia** Pallas 215.  
**Turca** 64, 150, 384, 29, 785, 873, 876, 948, 1190. **Turcae** 165, 169, 273, 495, 681, 745, 846, 1081.  
**Turcus** miles 753. **Turci** duces 795. **Turcae** ruinae 865.  
**Tydidēs** 650.  
**Typhon** 845.  
**Tyrium** ostrum 756.  
**Tyrrhenaē** urbes 457.  
**Ulixes** 650.  
**Vandalus** 553.  
**Vaticanum** 1176.  
**Venus** (v. Cytherea, Diōne) 930.  
**Vienna** 1002.  
**Volaci** 949, 1079.  
**Volaterra** 507.  
**Vulcania** rupes 203.  
**Vulcanus** 492.  
**Xerxes** 732.

## CORRIGENDA

Pag.	4.	v.	122.	pro	foetum	lege	fetum
"	11.	"	445.	"	Gethis	"	Getis
"	16.	"	679.	"	diu	"	duci
"	23.	"	1018.	"	perque	"	perque

# BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

## SAECULA XII—XIII.

RM

**P. magister**, quondam Bele regis Hungarie notarius, *Gesta Hungarorum*, ed. *Juhász*. 1932. — — — — — 5.40

## SAECULUM XIII.

**Garlandia**, Iohannes de, *Integumenta fabularum Ovidii*, ed. *Born*. (Excuduntur.)  
**De orthographia** (incerti auctoris), ed. *Born*. (Apparebit.)

## SAECULA XIII—XIV.

**Dantes Alagherius**, *Epistolae*, edd. *Nachod—Stern*. (Apparebunt.)

## SAECULA XIV—XV.

**Ravenna**, Iohannes de, *Epistolae*, ed. *Smith*. (Apparebunt.)  
**Salutatus**, Coluccius, *De saeculo et religione*, ed. *Ullman*. (Apparebit.)  
**Trevisanus Maior**, Zacharias, *Orationes et testamentum*, edd. *Bertalot—Gothein*. (Apparebunt.)

## SAECULUM XV.

**Barbarus**, Franciscus, *Epistolae*, ed. *Gothein*. (Apparebunt.)  
— *Orationes. Una cum orationibus ad eundem habitis*, ed. *Gothein*. (Apparebunt.)  
**Barius**, Nicolaus — **Kostolan**, Georgius Polycarpus de — **Hungarus**, Simon — **Zagabriensis**, Georgius Augustinus, *Reliquiae*, ed. *Juhász*, 1932. — — — — — 1.50  
**Brandolinus**, Aurelius, *De comparatione rei publicae et regni ad Laurentium Medicen*, ed. *P. Angyal*. (Apparebit.)  
— *Dialogus de humanae vitae condicione et toleranda corporis aegritudine*, ed. *Iványi*. (Apparebit.)  
**Callimachus** Experiens, Attila. *Accedunt opuscula Quintii Aemiliani Cimbriaci ad Attilam pertinentia*, ed. *Kardos*. 1932. — — 1.70  
**Corsinus**, Amerigus, *Compendium in vitam Cosmi Medicis ad Laurentium Medicem*, ed. *Juhász*. 1934. — — 2.—  
**Cortesius**, Alexander, *De laudibus bellicis Matthiae Corvini Hungariae regis*, ed. *Fögel*. 1934. — — 2.—  
**Facius**, Bartholomaeus, *Invectivae in Laurentium Vallam*, ed. *Valentini*. (Apparebunt.)  
**Ficinus**, Marsilius, *Epistolae*, ed. *Kristeller*. (Apparebunt.)  
**Hungarus**, Simon, v. **Barius**, Nicolaus.  
**Kostolan**, Georgius Polycarpus de, v. **Barius**, Nicolaus.  
**Martius** Narniensis, Galeottus, *Carmina*, ed. *Juhász*. 1932. — — 1.80  
— *De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Mathiae ad ducem Iohannem eius filium liber*, ed. *Juhász*. (Excuditur.)  
— *De incognitis vulgo*, edd. *Juhász—Kardos* (Apparebit.)  
— *Epistolae*, ed. *Juhász*. 1930. — — — — — 1.—  
— *Invectivae in Franciscum Philelphum*, ed. *Juhász*. 1932. — — 2.50  
**Pannonius**, Ianus, *Opera*, ed. *Huszti*. (Apparebunt.)



- Philelfus**, Franciscus, Sphortias, edd. *Fögel—Juhász*. (Apparebit.)  
**Ransanus**, Petrus, Epitoma rerum Hungararum, ed. *Juhász*. (Excuditur.)  
**Savonensis**, Guilhelmus, Dialogus, an mortui sint lugendi an non, ed. *Maschek*. (Apparebit.)  
**Seneca**, Thomas, Historia Bononiensis. Qualiter Galeatius Marcoscottus eques extraxit Hannibalem Bentevolum de carceribus et reliqua per utrunque gesta. Carmen epicum, ed. *Fögel*. 1932. 3.60  
**Strozza**, Titus Vespasianus, v. Saecula XV—XVI.  
**Valagussa**, Georgius, Epistolae, ed. *Juhász*. (Apparebunt.)  
**Vitez** de Zredna, Iohannes, Epistolae — Orationes, ed. *Juhász*. (Apparebunt.)  
**Zagabriensis**, Georgius Augustinus, v. Barius, Nicolaus.  
**Zovenzonius**, Raphael, Carmina, edd. *Fögel—Juhász*. (Apparebunt.)

## SAECULA XV—XVI.

- Andronicus** Tragurinus, Matthaëus, Epithalamium in nuptias Vladislai Pannoniarum ac Boemiae regis et Annae Candaliae reginae, ed. *Juhász*. 1933. — — — — — 1.—  
**Balbus**, Hieronymus, Epigrammata, ed. *Iványi*. (Apparebunt.)  
**Celtis** Protucius, Conradus, Ludus Dianae — Rhapsodia, ed. *Rupprich*. (Apparebunt.)  
 — Oratio in gymnasio in Ingelstadio publice recitata. Cum carminibus ad orationem pertinentibus, ed. *Rupprich*. 1932. 1.30  
 — Quattuor libri Amorum secundum quattuor latera Germaniae — Descriptio Germaniae generalis. Accedunt carmina aliorum ad libros Amorum pertinentia, ed. *Pindter*. (Excuduntur.)  
**Fontius**, Bartholomaeus, Carmina, edd. *Fögel—Juhász*. 1932. — 2.—  
 — Epistolarum libri III., ed. *Juhász*. 1931. — — — — — 4.50  
**Naldius** (de Naldis) Florentinus, Naldus, De laudibus Bibliothecae libri IV. ad Mathiam Corvinum Pannoniae regem, edd. *Juhász—Mocarski*. (Apparebunt.)  
 — Elegiarum libri III. ad Laurentium Medicen, ed. *Juhász*. (Excuduntur.)  
**Piso**, Iacobus, Opera, ed. *Juhász*. (Apparebunt.)  
**Strozza**, Titus Vespasianus, Borsias (Fragmenta) — Bucolicon liber, edd. *Fögel—Juhász*. 1933. — — — — — 1.40  
**Verinus**, Ugolinus, Carlias, edd. *Fögel—Juhász*. (Apparebit.)  
 — Epigrammatum libri VII. edd. *Fögel—Juhász*. (Apparebunt.)  
 — Panegyricon ad Ferdinandum regem et Isabellam reginam Hispaniarum de Saraceniae Baetidos gloriosa expugnatione, edd. *Fögel—Juhász*. 1933. — — — — — 2.20  
**Warda**, Petrus de, Epistolae, ed. *Iványi*. (Apparebunt.)

## SAECULUM XVI.

- Duditius**, Andreas, Epistolae, edd. *Costil—Juhász*. (Apparebunt.)  
 — Opera varia, edd. *Costil—Juhász*. (Apparebunt.)  
**Merenda**, Livius, Hercules — Seilas (Fragmenta). Ludi scenici, ed. *Tescari*. (Apparebunt.)  
**Olahus**, Nicolaus, Carmina, edd. *Fögel—Juhász*. (Excuduntur.)  
**Sambucus**, Iohannes, Epistolae, ed. *Gerstinger*. (Apparebunt.)  
**Stretzinger**, Thomas, Oratio ad d. Leopoldum in gymnasio Viennensi habita, ed. *Maschek*. (Apparebit.)

## SAECULA XVI—XVII.

- Istvánffy**, Nicolaus, Carmina, ed. *Holub*. (Apparebunt.)